



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

MENSONIS ALTING,

D E S C R I P T I O,

SECUNDUM ANTIQUOS,

AGRI BATAVI & FRISII;

UNA CUM CONTERMINIS.

Sive

N O T I T I A

GERMANIÆ INFERIORIS,

Cis & ultra Rhenum; Quà hodie
eſt in Dicione

VII - FOEDERATORUM.

Repræſentata

TABULIS GEOGRAPHICIS V.

& COMMENTARIO

in loca omnia, hoc tractu, Romanis Scriptoribus & Monumentis, quà Latinis, quà Græcis, memorata;

A C. Julio Cæſare, ad Juſtinianum Aug.

Cuncta, ad litterarum ordinem, ſic digeſta, ut ipſe Commentarius *ſit* Tabularum *quaſi* Index, *ex quo depromtu facillimum, quæ Lector deſiderare poterit.*

NAPOLI

AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM.

cIɔ Iɔ CXCVII.

NAPOLI

V I R O

MAGNIFICO ET AMPLISS.

RINALDO CLINGE

INCLUTÆ

FRISIORUM GRONINGÆ

CIVITATIS AUTOCRATISTÆ

CONSULI.

H. T.

PRÆSIDI JUS DICENTIUM

INTER AMISIAM ET LAVICAM

CUM SUMMA POTESTATE.

COLLEGÆ INDIVIDUO.

AUTHOR

D. D.

QUamvis, Amici complures, Viri fide, virtute, & intelligentia præſtantes, hoc, quod Tibi exhibeo, opuſculum com-

probaſſe videantur ; Tuum , præ cæteris, excuſſum judicium , ceu maximæ commendationis acceſſionem , mirè concupiſco. At inquies ; exquirendum potiùs fuiſſet conſilium re integra. Experieris verò pellegens , & recordaberis , de quam plurimis , jucundo in ocio, tuam Te mihi ſententiam ſubinde aperuiſſe , atque me in mea mirificè confirmaſſe. Videbis enim non pauca à me dicta , quæ ipſe, pro inſigni, qua excellis, perſpicacitate, dudum prævidiſti : & jam tanto majore favore complectêris , quia prævidiſti. Adeoque non minus tua , quam mea, eſſe agnoſces.

Hoc igitur, quicquid eſt muneris, Collega Amantiſſime, Tibi, ceu debitum , jure merito exſolvo. Licet eò quoque pertineat, ut, vel hoc ſpecimine , ſcias, quibus remediis conſueverim lenire tædium ſæpiùs novum ; cœtera noſti ; *innocentiſſimâ , uti vides, non tam occupatione , quàm recreatione* αλεξικακῳ, *nec Conſule, opinor, indigna: quia ornandæ quodammodo Patriæ ſuſcepta:*

In-

Interim dum decedant dividiæ æquabilitati, quæ certiſſima Reipublicæ tutela; Tua maxima cura, vel inſitâ quadam magnis & excelſis animis propenſione moliendi ſemper quod arduum, quod ſalutare, quod neceſſarium.

Faxit DEUS T. O. M. *ut quævis honeſta conſilia, quæ, amore communium, capis pro libertate & concordia, quibus benè compoſitis, nihil majus præſtari Reipl. poteſt, cedant tam proſpere, ut virtutibus tuis Civitatis gloria augeatur.*

Vale firmiter, Collega Optime, & vive feliciter: Hocque age, amabo, ut teſtificatio amoris in me tui, ſit mihi quaſi operæ præmium, atque mutuus noſter amor ejuſdem voluptatis perfruitio, quæ, publicè, Populi Salus; privatim, beata animi tranquillitas.

Groningæ Friſiorum, Ipſis Idibus Februariis
Anno Æræ Chriſtianæ CIↃ IↃC XCVII.

PRÆ-

PRÆFATIO AUTHORIS
DE OPERIS INSTITUTO.

L. B. S.

VAriorum Interpretum, qui in quavis ſcientia præcipuæ authoritatis ſunt, varias noviſſe opiniones, publicè è Cathedra docentibus magno quidem uſui & ornamento eſt; Sed privatim applaudere protinùs illi, cujus authoritas maximè conſpicua, aut longo uſu recepta, ex æquo noxium & indecorum ſemper duxi, liberali ingenio ſolidæ veritatis cupido. Huic enim tantô magis enitendum, ut ex ipſis fontibus liquidam hauriat veritatem, quantô plures rivos, contrarias in partes, inde ab aliis deductos deprehendit; malè omninò à pleriſque, &, fortaſſis, ab omnibus: cùm nemo mortalium ſit, qui non in multis aberret. Et hæc quidem, animô meô, unica veritatis indagandæ via. Cœci eſt alienîs oculîs duci, Servi vel amentis alienô judiciô regi. Itaque cùm animadvertiſſem Viros Summos, magnô numerô, Exteros, Advenas, Indigenas, antiquam Patriæ noſtræ Geographiam, tantâ ſententiarum varietate interpretatos; ut haut paullo difficilius ſit eligere quem ſequaris, quàm ex ipſis Veterum monumentis petere quod ſtatuas: Hæc ipſa diſcrepantia maximè me impulit, ut otium, quod ſubinde à Repl. conceditur, terendum ſuſceperim, curatiùs perſcrutando

quic-

quicquid locorum in BATAVIS & FRISIIS, Sociiſque hodiè & conterminis Nationibus, uſquam prodidit Antiquitas. Nullum alium in finem, quàm ut ipſe cognoſcerem potiùs quid dixerint de hiſce Veteres, quàm quid eos dixiſſe autument eorum Interpretes. Minimè ut convellerem tantorum Virorum authoritatem; multo minus ut deſcenderem in comparationem curæ ingeniive. Abeſt à functione, immò ab ingenio meo quàm longiſſimè tam ſtolida arrogantia. Initio ſiquidem Tabulam Geographicam tantùm adornavi de BATAVIS & FRISIIS, eorumdemque Sociis, Provincialibus & Conterminis, in quam conjeci, quicquid ad illum modum ſe habere, mathematica ferè demonſtratione, inveneram: additis alicubi quàm breviſſimis commentatiunculis, ne memoriâ exciderent, quæ mente conceperam. Sed hæc non adeo intra Muſæi cancellos latuit, ut ne veniret ad notitiam Amicorum, quibus proinde ejus copia faciunda erat jure neceſſitudinis. Hinc quædam ab illis enotata, quæ maximè arridere videbantur, eademque cum aliis, quibus hæc res cordi eſt, communicata, & pænè publicata. Poſtea à me flagitari non deſitum; Tabellam Univerſam amplioribus commentariis illuſtrarem, quibus rationem ſingulorum exponerem. Annui denique, nihil Amicis negare ſuetus.

Igitur ante omnia Tabulam mihi retexendam duxi, atque latiùs, in Cimbros uſque & Suevos proferendam; ut complecteretur Utramque Germaniæ Inferioris Provinciam, Veterem & Novam,

cis & ultra Rhenum: Non ideò, quòd de his omnibus dicere in animum induxerim; ſed quia Citerioris portio BATAVI, Ulterioris FRISII fuêre. Ex hac autem Summa Deſcriptione Tabellas IV. alias, ad totidem quadraturas præciſas, parallelogrammis tranſſumendas curavi, omne illud terrarum complexas, quod Commentariis illuſtrare conſtitui. Quarum *Primâ* exhibui Univerſam VII-Fœderatorum Dicionem, per utramque Germaniam Inferiorem, cis & ultra Rhenum. *Secundâ* Cisrhenanam ſeorsùm, quatenus medio alveo ad lævam eſt. *Tertiâ* ſpeciatim Agrum Batavum, intra & extra Inſulam; atque in ea Caninefatem. *Quartâ* denique Transrhenanam, in qua Friſii univerſi, quæque his prætexitur Bructerorum portio, Tranſiſalanis & Zutfanienſibus hodiè, propria. Lineas Longitudinis & Latitudinis conſultò omiſi: quia Veterum plriſque omninò tacitæ, aut perperam heîc circum deſcriptæ: Neque in præſentia quicquam rei nobis ſit cum Recentioribus, qui utraſque dudum hodiernæ faciei ex vero accommodarunt. Hæc tamen ita accepta nolim, ac ſi Ptolemæi, aliorumque theſes, ab noſtrô Climate, procul dubiô, nimiùm evagantes, prorſus inutiles cenſerem. Quod tantùm abeſt; ut, quoties occaſio ferat, demonſtrem, inſignis illas utilitatis eſſe, ad eruendam veram milliarium diſtantiam, quæ duobus locis, poſitu, proximè ac ſine medio, conjunctis, intercedit. Uti cuivis perceptu facile erit ex Scala Menſoria, quam huic demonſtrationi propriam dicavi

in

in Commentario ad Flium. Quod ſi non omnes Fluviorum, Lacuum, Paludum, Littorumve ductus flexuſque ſatis exactè conſtitutos quis putarit: Ante omnia meminiſſe velim; quid non mutare valuerit longi ævi vetuſtas. Deinde; quid in hiſce poſſit vel minima ſtili vacillatio Parallelographo commiſſa. Commiſſam autem alicubi, me abſente ipſe deprehendi, ſed intactam reliqui, ut operæ parcerem; Quia non tanti, quæ quicquam officiat, quominus ritè percipiatur mea, ſecundum Veteres, ſententia. Quam, precor, ilicò explodere nolit Æquus Lector, ad ſolam inſpectionem Tabellarum, longe diverſò ſitu haut pauca exhibentium, quàm hactenus placuit Interpretibus: Sed expendat, oro, ad ſingula, quæ, primâ fronte, maximè paradoxa videbuntur, ipſos noſtros Commentarios; vel in hunc ſolum finem ita diſpoſitos, ut ſint quaſi Tabellarum Indices, ex quibus depromptu *facilis* cujuſvis poſitionis & emendationis ratio.

Commentarios ſiquidem nullum alium in ordinem digeſſi, quàm quem inter litterarum elemennta ſervant Romani: Potiſſimùm quidem ob cauſſam jam dictam; tum etiam, quia Seculi Genio hunc in primis placere video. Hoc igitur ordine diſpoſui & expoſui quicquid locorum, à C. Julio Cæſare & cognitâ Romanis armis Germaniâ, ad Juſtinianum I. Francoſque ab Imperio emancipatos, Veterum ſcriptis, marmoribus, numîs memoratum, intra Fœderatæ noſtræ Reipl. fineis: injectâ ſubinde conterminarum Gentium, & in iis quorundam locorum

rum ſingulariorum deſcriptione, res noſtras illuſtrante.

Si quid me fugit, humanitati donandum; ſaltem ab oſcitantiâ cavi, quantum potui. Veteres Authores unicè ob oculos habui, ipſorum ferè verba ſecutus. Interpretum vix alia habita eſt ratio, quàm ut latentes hactenus errores nonnullos, & pro vero undique receptos, omnium oculis exponerem, omniumque mentibus, quantum in me fuit, eximerem. Cætera pronus magis applaudendis rectè cogitatis, quam explodendis, quæ ſecùs: Longè præſtantiùs eſſe ratus; in veritatem, quàm in errorem inquirere; Maximè, cùm illâ aſſertâ, hic ultrò corruat, veluti

- - - - *ſubductis tecta columnis.*

Quòd locis quibuſdam Veterum, hactenus deſperatis vel certè vexatiſſimis, qualemcunque opem afferre auſus fuerim; Anſer nimirum ſtrepens inter olores; Id vitio ne vertant, obſecro & obteſtor Rei litterariæ Patres: ſtudiò quippe factum juvandæ illorum Reipl. Et quidem volentibus, immò efflagitantibus, qui inter illos illuſtri loco conſident omni Palladis armaturâ donati, adeoque inſtructiſſimi ad tuendum, quod tutis è latebris protraxerunt. Hiſce ſi gratioſus fuerit Vernula meus, ipſorum quaſi Prætoriâ vindictâ manumiſſus; & porrò Doctis aliis, quorum in conſpectum venerit; ſatis magnum operæ precium me tuliſſe, otiumque rectè collocaſſe arbitrabor. Nec defugiam, novum otium,

ſi

ſi quod indulſerit propitium Numen, Alteri quoque Parti, cum voluptate, impendere, Quâ expoſiturus ſim, parili Tabellarum & Commentariorum ordine, Patriæ communis faciem, quæ fuit à Francis ab Imperio Rom. emancipatis, ad Auguſtæ Domûs Suevicæ excidium.

Interim, Benevole Lector, utere hâc Priore, tuô arbitratu: modò æquum advertas animum, perſpiciendo penitus, penituſque perpendendo ipſa Veterum monumenta, quibus me innixum videbis. Nec erit de quo conquerar, quicquid tandem ſtatueris ſic ſatis perpenſô judiciô. Unicum ſupereſt, quod deprecer; ne rigidus Latinitatis aut Compoſitionis exactor eſſe velis: Neque enim Ajo Locutio litare volui, ſed Veritati & Fidei: præterquam, quòd ſcribendi peritiam, quæ quidem in me nulla, vix quiſquam hodiè requirat ab homine, qui in Reipublicæ negotiis ætatem tranſigit. Hæc te monitum & rogatum meâ interfuit. Benè vale & ſtudium Patriæ antiquitatis illuſtrandæ, favore tuo, promove. Dabam Groningæ Friſiorum a. d. XVI. Kalendas Decembreis Anno Æræ Chriſtianæ cIↃ IↃc xcvi.

Ad Nobiliſſimum, Ampliſſimum Virum
MENSONEM ALTING,
Conſulem Groninganum,
Ut elaboratas Ingenii curas in lucem edat.

ALtingae, domo clara ſate rebus avitis,
Præſidium Patriæ grande decuſque tuæ,
Qui meritis æquas titulos, famamque tuorum,
O legum cuſtos inclyte & urbis amor.
Ede laboratas, monumenta perennia, chartas,
Et quas ſollicitus non bene condis opes;
Da precibus, votiſque locum, monitiſque tuorum,
Parte ſit hac victrix pars ſtudioſa tui.
Exactum quid opus doctaque incude novatum
In ſeros profers poſt tua fata dies.
Ematuruerint cum jam tua vindice lima
Et verſo niteant pignora ſæpe ſtylo,
Quid prohibes Fama vigilatas credere noctes,
Inque diem curas Vir dare Magne tuas.
Venit in exemplum cum laus inſignis avorum,
Quid vetat hos proavos hac quoque parte ſequi?
Quæ te ſollicitum ſpectata modeſtia tardat,
In damnum pudor eſt ſæpe malumque potens.
Pelle moras, quid longa dies prolataque lucri
Adfert, ad laudes num facit illa tuas?

Cum

Cum vivo Magnum nomen tibi Fama datura eſt,
Quid petis à buſtis quod dare vita poteſt?
Cum que ſit una tibi Patriæ prodeſſe voluptas,
Jam pridem meritis teſtificata tuis,
Quæ precor invidia eſt Patriæ tua ſcripta negare,
Æternum Patriæ Scripta datura decus.
Fama tuum nomen plaudentibus aurea pennis,
Fama vehet linguis, qua mare litus habet.
Hoc Muſæ ſtudioſa tuæ tibi Fama theatrum
Deſtinat hoc campo liberiore colet.
Hæc Patriæ debes præconia, palma parata eſt,
In laudes Fama eſt officioſa tuas,
Sis licet ad plauſus non ambitioſus amicos,
At Famæ vigili non dare verba potes.
Jam pennas novat illa ſuas, linguaſque ſonantes,
Jam jam longinquæ ſe parat illa viæ,
Eque tuis curis dentes removebit iniquos,
Livor edax noceat ne tibi tabe ſua.

Joh. Mensinga.

ODE

O D E

In Commentarium doctiſſimum, ſeu deſcriptionem Germaniæ inferioris antiquæ, cis & ultra Rhenum

Viri Nobiliſſimi

MENSONIS ALTING

Auguſtæ Civitatis Groninganæ Conſulis Ampliſſimi, & Societatis Indiæ Occidentalis Aſſeſſoris digniſſimi.

ILluſtre ſidus nomen amabile
Altingianæ gentis, honoribus
Intaminatis qui refulges
Grande decus Patrii Senatus,

Regnata Muſis tempora quo Duce
Redire gaudent, atque benignius
Aſtræa tellurem reviſit
Te Patriæ bene conſulente.

Tandem pudorem, vincla morantia
Fructus laborum pone, nec invide
Curas paratas eruditis
Auribus, ingeniiſque cultis.

Preces amicas quin video tuam
Flexiſſe mentem, vota tenacia
Viciſſe cantu blandiente,
Conſilioque alios benigno.

Antiqua multis Belgica ſæculis
Neglecta, fœdis vix ſua ſordibus
Non erubeſcendis aduſſit
Ignibus ingenuum pudorem.

Mens alta, magnis æqua Parentibus,
Scrutata caræ commoda Patriæ
Pulchroſque honores ſueta ſemper
Quærere proſperiore niſu,

Faſtidioſa deſidia, male
Duxiſſe longo tempore languidum,
Ægrumque corpus, vix levandum
Pæoniis doluit periclis

Belgas vetuſtos, nomina fortia,
Signata faſtis; nec requiem ſibi
Indulſit ante, quam benigno
Numine, perpetuo labore

Metata prave, vel loca perperam
Percepta, vel luxata licentia
Inauſpicata ac pertinaci,
Ingenio reparaſſet acri.

Genteſq; & Urbes, caſtraq; & inſulas,
Lacuſque & amnes, oſtiaque amnium,
Portuſque ponti ſævientis
Otia, præcipiteſque clivos,

Doctis vetuſtas nomina paginis
Servavit, aut quæ marmoribus ſacris,
Turpata fato ſed maligno
In proprias revocaſſet oras.

Serpens ut annos lubricus exuit,
Novuſque prodit; Belgica ſordibus
Purgata fœdis eniteſcit
Sic nova nobiliore cultu.

Interque partes has memorabiles
Unſingis amnis lætior aſpici
Ob reſtitutam dignitatem
Per Grunicos ſpatiatur agros,

Suumque gaudet nomen & alveum
Faſtis renatum hoc Conſule Romulis,
Junctumque Manarmanen undis,
Ac Grunicis iterum viretis.

Victrix

Victrix refecto Belgica limite,
Demptiſque pulchro corpore lividis
Lætare nævis, ac fugata
Illuvie vitiante partes

Adhuc vigentes, ac tabulis datam
Lucem vetuſtis, atque animam novis,
Chartiſque doctis, quas reliquit
Mars ferus ingeniis nepotum.

Lætare partes has ſibi Patriæ
Sumpſiſſe Patrem vix ſuperabiles
Labore magno, nec minores.
Has Grunicis habuiſſe ſceptris.

Pulcher ſororum Pieridum chorus
Vultu ſereno prodeat, & ſibi
Soles benignos atque amicos
Ingeniis, ſine nube fingat,

Sancti Senatus quod columen grave,
Labore pulchro nil prius æſtimet,
Infructuoſas præterire
Nec temere patiatur horas,

Natoſque fœtus læta per otia
Actaſque noctes conſecret impiger
Luctante quamvis eruditis
Cum ſtudiis niveo pudore.

Videre multos jam videor mihi
His æmulandis ſe dare finibus,
Terraſque & oras litorales
His ſimiles Patriæ parare.

Videre pubem jam videor mihi
Ad magna natam, promtius ac prius
Ferri per obſtantes labores
Ad titulos, proavûmque faſces;

Rectoque nixos mentis acumine
Æternitati ſcribere, quæ legant
Serique mirentur nepotes,
Ac memori decorent honore.

Vir Magne curas his precor adjice,
Quibus refingis præteritos dies,
Jam Fama pennis auſpicatis
Prodidit hæc renovata ſæcla.

Permitte Famæ, muneribus tuis
Tibi benignæ, dicere debitam
Dignamque ſortem, literatus
Flagitat hoc reverenter Orbis.

JOH. MENSINGA.

I N

BATAVIAM & FRISIAM

ANTIQUAM

Ampliſſimi & Doctiſſimi Viri

MENSONIS ALTING,

Conſulis Groningani, &c. &c.

SCrutator maris & terrae, ſcrutator Olympi,
Vaſtaeque Siderum plagae,
Edoctus Veterum omnigenas Altingius artes,
Et quicquid eſt artis novae,
Qui fuerint fines Friſiae, terraeque Batavae,
Qua Rhenus iverit via,
Pluribus indiciis, & priſci teſtibus aevi,
Oſtendit hoc volumine.
Gaude Cive tuo, fortunatiſſima, gaude
Tuo, Groninga, Conſule.
Nil opere hoc Patrum conſpexit doctius aetas;
Nil cernet aetas poſtera.
Hinc lux Antiquis oritur Scriptoribus, hinc lux
Recentioribus venit.
Cedit, & hos ipſos Rheni Cluverius amnis
Veros fatetur alveos.
Ora ſuo Tacitus buſto levat: Haec, ait, haec eſt,
Qualem exaravi, Belgica.
Lumina convertens partes Civilis in omnes
Mea, inquit, haec Batavia eſt.

PETRUS FRANCIUS.

IN NOTITIAM

GERMANIÆ INFERIORIS

MENSONIS ALTING

Urbis Groninganæ Conſulis, &c. &c.

ANtiquitatis Belgicæ novum jubar
  Orbiſque Romuli ſimul;
Aperta rerum magne priſcarum; decus
  Altingiani nominis:
Ut te Deorum quidquid eſt faventium
  Nutu benigno ſoſpitet!
Ut hos labores, mente conceptos gravi,
  Stylo explicatos maſculo,
Æternet ille, digna qui virtutibus
  Dignis rependit præmia,
Semper-virente laurea cinctus caput
  Pulcerrimus Deorum, Honor!
Jam lætiore fluctuantes alveo
  Circa Batavum limitem
Nymphas, & udo proſilire gurgite
  Video novos Palæmonas,
Rhenus bicorni rura qua ſecans vado
  Proſpectat undoſum mare.
Te vitreus Viſurgis, te ſonat pater
  Albis citato flumine.
Ulvaque lætus & paluſtri arundine
  Unſingis amnis patrius.
Unſingis ille nemini notus prius,
  Expers vetuſti nominis.
Quem tu tenebris erutum & longo ſitu
  Conſul redonas Conſuli.
Huic nempe, cujus ex recondita penu
  Priſco ſalutem Belgio
Nunc reddidiſti, mox daturus alteram
  (Sic Dii volunt) Germaniæ.
Quid tu? negaſne? ſed negare non ſinit
  Pignus, quod orbis nunc habet;
Quod publici favoris exceptum ſono
  Æternitatis ad tholum
Muſæ reponunt; quod perennes Gratiæ
  Fauſto ſecundant alite.

JANUS BROUKHUSIUS.

ERRATA & OMISSA

ſic corriguntor.

In ipſo COMMENTARIO.

Pag.	*lin.*	*Erratum*	*Corrige*
4	3	pœne domina. Cui	pæne domina. Qui
7	*penult.*	Cæſares.	Cæſarem.
9	*penult.*	è	&
11	36	ſequenti	ſequendi
14	23	pronunciatibus	pronunciantibus
19	*penult.*	*Amſivarios*	*Amſivarios*
30	4 *à fin.*	*poſt* hodie	*dele punctum.*
31	13	*Ogmyus*	*Ogmyus*
	19	*Malcha*	*Malacha*
36	1	Qui &	Aut ille, qui
	13	pæne	ponè
	36	*Bonnam Antunnaci*	*Bonnam, Antunnaci*
46	13	*Civis Trajanenſis.*	*Civi Trajanenſi.*
49	20	fucit	facit
	21	majores.	majore.
50	13	æſtimium	æſtimiam
51	17	tis ſaltem	tis Aſylum ſaltem
56	25	ſeriè	ſerie
63	4 *à fin.*	*Vectita*	*Vechta*
66	29	ſingularius	ſingularias
70	26	contra alteram	contrà ; Alteram
72	20	parte : Perex	parte. Perex
	32	corruptam... verò	corruptum... verò
84	1	illum	illud
91	34	error.	error eſt,
96	9	**Arlape**	*Arlape,*
98	16	Lacus	Locus
107	6	*Mare, Vadoſum,*	*Mare vadoſum,*
108	13	24. 30.	24. 40.
116	15	*Valentianos*	*Valentianas*
	17	**Schold**	**Schald**
118	20	tributum	tributam
125	24	*poſt* aucupantur.	*dele punctum.*

Ad MARGINEM.

Pag.	*ſign.*	*Erratum*	*Corrige.*
15	(u)	Germ.	Geogr.
20	(h)	c. 105.	c. 5.
23	(k)	Marc. l. XVII. Am. c. 8. 9. 10.	Marc. l. XXIII. c. 17. 18. 19.
	(n)	c. 2.	c. 3. & ſeqq.
24	(p)	XXI. S.	XX. pr.
26	(k)	d. l. IV.	H. N. lib. IV.
35	(f)	c. 10.	c. 12.
	(g)	c. 30.	c. 31.
43	(n)	49.	79.
47	(h)	lib. 2.	lib. II. c. 18.
59	(c)	V. 74.	IV. 72.
69	(b)	25.	10.
71	(a)	15	25.
	(b)	DXXXIII.	DXXXII.
74	(f)	*add.* Liv. Epit.	Lib. fin.
82	(b)	Lib.	Lib. II. c. 9.
87	(a)	III. 36.	II. 36. fin.
	lin. ult. add.	II. poſt medium.	
93	(d)	CXX.	CLX.
100	(c)	Geog.	Germ. Ant.
113	(i)	Ad	Apud
125	(a)	Caroli R.	Caroli M.

IN INDICE.

Voce Strabo. *Poſt* Lib. VII. *leg.* A. 4. B. 2. 5. 6. C. 4. 6. F. 13. G. 1. 3. R. 1. S. 1. T. 7.

In APPENDICE.

In Titulo lege de ſingulis ſeorsùm.

Pag.	*lin.*		
1	1	Ptolemæi, theſibus	Ptolemæi theſibus,
16	31	deſtructione	detractione
17	29	erit, locus	erit locus,

Pag. 56. *lin.* 14. *& ſeqq. inter* Aquilo *&* terras, *ſic reſtitue parentheſin :* (ita vocaſſe videtur ventum aliquem Septentrionarium, Friſicæ oræ infeſtum ; non ſpeciatim illum, qui Africo contrarius, & huic littori propitius)

INDEX

INDEX ARGUMENTORUM.

Ordine, quô tractata.

A.

AD Duodecimum.
Albiniana.
Alveus Rheni novus per Galliam.
Amiſia fluvius.
- - - Opidum, vel Vicus.
- - - Statio, Sinus.
Amſibarii.
Ara in Batavorum Inſula.
Arenacum.
Armamentarium in Batavorum Inſula.
Aſciburgium.
Auchi.

B.

BAduhennæ Lucus.
Batavi.
Batavodurum Vicus & Opidum.
Batavorum Opidum.
Bructeri.
Burchana.
Burginatium.

C.

CAninefates.
Carvo.
Caſpingium.
Caſtra Herculis.
- - - Ulpia.
Cauci ſeu Cauchi.
Cevelum.
Chamavi.
Colonia Trajana.
Corbulonis Foſſa.
- - - Munimentum.
Coriovallium.
Cruptoricis Villa.

D.

DOmitii Pontes Longi.
Doreſtatum.
Druſi moles.

E.

EDita, inter Amiſiam & Unſingim.
Elinum.

F.

FLenium.
Fletio.
Fléum Opidum, quod & Flevum Caſtellum.
Flevo Inſula.
- - Lacus.
Flevum Oſtium.
Flevus fluvius.
Fons aquæ dulcis noxiæ.
Forum Adriani.
Foſſa Druſiana.
Franci.
Friſiabones.
Friſii.

G.

GErmania Inferior.
Grinnes.
Gugerni.

H.

HElium.
Herenatium.

I.

IUbones.

L.

LAcus.
Lauri.
Leveſanum.
Lucus.
Lugdunum.

M.

MAnarmanis.
Mannaritium.
Marci Imp. Columella Milliaria.
Marſatii.
Matilo.
Mediolanium.
Menapii.
Morini.
Moſa. fl.

N.

NAbalia. fl.
Navalia.
Nehalenniæ Sacellum.
Nemus Sacrum.
Niger Pullus.
Noviomagus.

O.

OBtricenſe Moſæ Opidum.
Oceanus.
Oſtium Amaſii.
- - - Moſæ.
- - - Rheni medium.

P.

PRætorium Agrippinæ.

Q.

QUadriburgium.

R.

RHenus fl.

S.

SAla fl.
Scaldis fl.
Siatutanda.
Sturii.
Sunici.

T.

TAblæ.
Tabuda fl.
Taxandri.
Teuderium.
Theudurum.
Trajectus Rheni.
Tubantes.

V.

VAda.
Vahalis ſeu Valis fl.
Unſingis fl.

W.

WAlis vid. Valis, Vahalis.
Wider fl. & Oſtium.

NO-

NOMINA VETERUM

ex quibus Argumenta petita.

ÆThicus Coſmographus.
Alexander Sulpicius.
Ammianus Marcellinus.
Antonini Itinerarium.
Aurelius Victor.
Auſonius Poeta.

Cæſar.
Capitolinus.
Caſſiodorus Chron.
Claudianus Poeta.

Dio Caſſius.

Eumenius Rhetor.
Eutropius.

Fortunatus Poeta.

Herodianus.

Inſcriptiones Lapidum.
- - - - Numorum.
Jornandes.
Itineraria.

Mamertinus Panegyriſta.
Marcellinus Ammian.

Mela Pomp. Geograph.

Notitia Utr. Imperii.
- - - Galliarum.

Oroſius.

Panegyriſtæ.
Plinius Avunculus.
Plinius Nepos Panegyr.
Plutarchus.
Pollio Trebell.
Ptolemæus Geograph.

Servius Grammat.
Sidonius Apollinaris Poeta.
Spartianus.
Strabo Geograph.
Suetonius.

Tabula Peutingerana.
Tacitus.

Vellejus Paterculus.
Virgilius Poeta.
Vopiſcus Flav.

Zoſimus.

S E R I E S

ET CONTENTA

TABULARUM GEOGRAPHICARVM.

I. *SUmmaria Deſcriptio Germaniæ Inferioris antiquæ, cis & ultra Rhenum; Cum omni Germanorum poſſeſſione in Belgica Secunda, ſeu Inferiore.*

II. *Deſcriptio Germaniæ Inferioris, cis & ultra Rhenum quà hodiè eſt in Dicione VII-Fœderatorum.*

III. *Deſcriptio Agri Batavi, Aliorumque, qui hodiè cis Rhenum in Dicione VII-Fœderatorum.*

IV. *Deſcriptio Batavorum Inſulæ & Continentis.*

V. *Deſcriptio Agri Friſii antiqui, Aliorumque, qui hodiè trans Rhenum in Dicione VII-Fœderatorum.*

LOCA





OSTIVM RHENI
Medium Plin. Ptol.
OCEANVS BRITANNICVS.
Caſtellum ad Aro
Lugdunum
Forum Adriani ſeu Elnum
Lugdunum
FOSSA
CORBVLONIS
Prætorium Agrippinæ & Armamentarium
Matilo
Albiniana
Niger Pullus
CANINEFATES.
Marci Columella M.
Lauri
B A T A V O R V
Den Yſſel
Trajectus
ALVEVS RHENI
Taldæ
Flenium
VAHALIS fluv.
BATAVORVM
MOSA
fluvius
SCALDIS
M E N A
Palus ex qua Menapiorum amnis de Aeeriſ

NAPOLI



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI




BRITANNICVS
OCEANVS.
CANINEFATES.
Lugdunum
Forum Adriani
Praetorium Agrippinae
Matilo
Albiniana
Nigor Pullus
Flenium
Tablae
Multa capita per quae etiam Rhenus effluit
T A X A N D R I
Extra Scaldim
ex Cattis trans ducti in partem
non terram.
Palus ex qua Menapiorum amnis de Aeerick.
M E
M O R I N I.
N E R V I I
Tornacum
Perviciacum
Gemmiacum
Semiss gradus.
M.P. V X XX XXX
Describ
AGRI BA
VII. FOEDERAT



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI


DESCRIPTIO
AGRI BATAVI
et
FRISII.
VII FOEDERATORVM
Dodrans gradus ſeu M. P. XLV.
O C E A N V S
G E R M A N
O C E A N V S
B R I T A N N I
C V S
OSTIVM { RHENI Med
RHENI Alii
M O R I N I.
Caſtellum
Cortoriacum
Menariacum
Mervicum
Taruanna
N E R V I I.
Turnacum
A T R E B A T E S
M E N
Flevum
NAPOLI


CAVCHI.
FRISII
Cruptoricis Villa
Flevo Insula
FLEVO LACVS.
Fons Aquae dulcis natae.
CHAMAVI.
Teuderium
ANGRIVARII.
DVLGIBINI
AMSIBARII
BRVCTERI
MARSORVM AGRI.
BRVCTERI MAIORES.
LVPPIA fl.
Vetera
Asciburgium
Gelduba
Novesium
VSIPII
et
TENCTERI
SIGAMBRORVM quondam sedibus
VBII seu
AGRIPPINENSES.
Colonia Agrippina
Tiberiacum
Castellum
Catualium
Theudurum
EBVRONES
Pons Mosae
SVNICI
ex Cattis transducti
Coriovallum
TVNGRORVM PORTIO.
Tab. 11.

NAPOLI





Summaria Descriptio
GERMANIÆ INFERIORIS
ANTIQVÆ
cis & ultra RHENVM
cum omni GERMANORVM possessione
in
BELGICA INFERIORE.
Auctore MENSONE ALTING.
M.P
LX.
Scala gradus unius.
GERMANIA
FLEVO LACVS.
BATAVORVM
BRVCTERI
MENAPII
MORINI
BELGICÆ
NERVII
ATREBATES
SECVNDÆ
AMBIANI
INFERIORIS
BELLOVACI
VEROMANDVI.
BELGIVM.
RIS PARS
SVESSONES.
RHEMORVM
PARS.
Quæ est sub DVCE REMORVM.
GERMANIA CIS
RHENANA
INFERIOR
TVNGRI
BELGICÆ SVPERIORIS seu PRIMAE
PARS.

NAPOLI


CIMBRORVM PORTIO
in qua
FOSI qui et SAXONES
Ptol.
MARIS SVEVICI PARS.
CAVCI MINORES
CHAMAVI.
CHERVSCI.
CHASSVARIORVM seu CHATTVARIORVM PAGVS
Tubantes
Tencteri
Sigambrorum
Castellum Cattorum
PAGVS BATTORVM
qui et Vahalin Batavi dicti
CATTORVM
PAGI
INFERIOR
in Formam pene Stipendiariae Provinciae redacta Vellej.
MATTIACI
Confluentes
CENTVM
Castellum Trajanum
Maguntiacum
Borbetomagus
NEMETES
Mattium
Trophaea Germanici
Ab Harz montibus
Bacenis
Cattorum
SALVS f.
ALBIS f.
VISVRGIS f.
Germani ulterioris omnes hinc
Mare Suevicum
in Danubium a Vistulam inter Rhenum et
Tab. I.





BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



N I C V S.
A D O S V M
CAVCHI.
BVRCHANA
FRISII
Corbulonis Monumentum
Cruptorici Villa
Lucus Baduennae
Amisia Opidum
Amisia Statio
Flevum Cast.
AMSIBARII
a qui et ANSVARII hic post
Bructerorum caedem.
BRVCTERI.
post Bructerorum caedem
Bructerorum caedem.
AMSIBARII hinc a Caucis expulsi
CHAMAVI
ANGRIVARII
Tekolia
Agri Menapus erepti ac Romanis militum usui sepositi.
Tab. V



LOCA IN BATAVIS ET FRISIIS, AC CIRCUM,

Quæ

Veterum Romanorum ſcriptis & monumentis celebrantur, ordine litterarum digeſta & Commentariis illuſtrata.

A.

I. Ad Duodecimum.

SEculum fere eſt, poſtquam ex Bibliotheca Auguſtanâ Peutingerorum, in lucem edita primùm fuerit integra TABULA *itineraria*, concinnata ad primam Julii Cæſaris & Auguſti deſcriptionem, auctaque, ante cognitam *Franciam* Rheno Occidentalem, ab Homine Chriſtiano, qui Notitiam Imperii, in amplitudine ſuâ maximâ, habuit perſpectiſſimam. In hac ſignatur, *Batavorum* finibus, Manſio Ad Duodecimum, ſcilicet *lapidem*, ab Urbe Primaria *Noviomago* mare verſus. Eò loci, quô fortè *Vahalis* trajiciendus, iter dirigentibus per Inſulæ mediterranea, vix mille paſſibus ſupra vicum, qui hodiè 'Leuen' à *Levâ Dea ſacri Nemoris Præſide*, conjecturâ non abſonâ, appellatur. Licet de cætero diverſum placeat *Philippo Cluverio*, ([a]) Geographorum, ſecundum antiquos, principi; qui huncce lapidem in ripam *Rheni* transferre, & ab *Arenaco* vico modico numerare

(a) Ger. Antiq. Lib. II. c. 36. 37.

(b) 4. Lib. c. 9. merare haut dubitavit: Contrà quàm ipſe, paullo ante, ([b]) ex hiſtoriis & itinerariis ſe obſervaſſe faſſus eſt; *Lapides numerari à primariis in Romano imperio urbibus.* Quâ igitur violentiâ hic, columellam milliariam pro more recepto, rectiſſimè ad Urbem, ſtatutam, vico transſcripſerit, Tabulæ liquidò demonſtrabunt, & ea, quæ ad *Caſtra Herculis*, alibique dicentur.

II. ALBINIANA.

Est locus in *Batavorum Inſula*, ad *Rhenum* M. P. X. ſupra *Lugdunum*, cui hoc nomen etiamnum adhæret, corruptum in Alſen / ubi jam vicus perquam tenuis, olim habitatio nulla, nomenclaturæ Batavæ: ſed Caſtra tantum uniusalteriuſve Legionis, vel quarundam Alarum Cohortiumve, quæ nec in *Vetera* reductæ, nec opidis, vicis aut caſtellis præſidio impoſitæ; uti Romanis in more poſitum, *Tacitus* exemplo comprobat. ([c]) Horum autem in ſolis itinerariis mentio eſt, ſed non totidem litteris. In *Antonini Codicib. Mſſ.* eſt *Albimanis* auferendi caſu; vel *Albinianis*. In *Tabula Peutingerana* verò *Albamanis* vel *Albanianis*. Nàm vitio legi *Albimanis* vel *Albamanis*, duabus litteris *ni* in unum *m*, volitante ſtilo, contractis, neutiquam dubitandum. Utra verò genuina ſit lectio *Albinianis-ne* an *Albanianis*, haut ita integrum eſt definire, primi Auctoris nomine planè ignorato. De genere tamen utriuſvis vocabuli non æquè ambigendum: cùm liquidò appareat, quicquid ſit, ad Caſtra eſſe referendum: minimè verò ad Aquas aciduli, calidi, ſalſulive fontis, qui heic in vicinia nullus. ALBINIANA itaque vel *Albaniana* neutro genere, plurium numero, recto caſu ſcribendum: non vero *Albinianæ* vel *Albanianæ*, genere ſequiori; uti amat Doctiſſimus *Valeſius* vulgata Antonini editione captus, in eximio ſuo opere, cujus Inſcriptio *Notitia Galliarum*. Minus etiam ferendi ſunt, qui *Alpheniana* ſcribi debere contendunt, quaſi ab Alpheno Varo, Præfecto quidem caſtrorum, in quibus & *Batavorum* Cohortes; ſed in *Lingonibus* procul à *Rheno*, ſecundum *Taciti* narrationem ([d]). Maluerunt nempe iſti homines, illuſtria duo antiquitatis monumenta, *Itinerarium Antonini* & *Tabulam Auguſtanam*, hac in parte, corrupta pronunciare, quàm agnoſcere vocabulum Romanum, corruptum ore Batavo; cui tamen perpetuum ferè eſt, etiam in puris Germanicis, B. mutare in F. ut *Albis*, Elb / Elf. Kalb / Kalf. Halb / Half / &c.

(c) V. Hiſt. 22.

(d) II. Hiſt. c. 29.

De Clodio Albino tradit *Capitolinus* ([e]); Quod, miſſu Commodi Galliam obtinens, *Friſios Rhenum* tranſgreſſos fuderit. Ut adeo Caſtra ad hunc amnem habere potuerit: Quæ ſanè ALBINIANA fuiſſent dicenda. Sed ideone hæc ipſa? nec affirmare, nec refellere animus eſt.

(e) In Clod. Albin.

III. ALVEUS RHENI NOVUS PER GALLIAM.

AMnis *Rhenus*, arenarum tumulis, **Grinden** vernaculè dictis, in proprio ſuo alveo excitatis, novum ſibi aperite per *Galliam*, atque ita Imperii limitem arctare, dudum minatus fuerat. Id, ne fieret, præcavit Druſus Germanicus, objectâ mole, haut longè infra vicum, cui loci conditio *Grinnes* nomen fecit. Sed Cl. Civilis *Batavorum* Dux, à Romanis prælio victus & ex continente *Provincia* in Inſulam rejectus, ut Hoſti perſequenti, prætet *Vabalim*, flumen alterum tranſmittendum objiceret, diruit hanc *Druſi molem*, effuditque *Rhenum*, prono alveo in *Galliam* ruentem, per emiſſarium repentinum, quod **Leche** *ſeu Licum*, *ab eliciendo*, dixere. Atque ſic (inquit *Tacitus*) ([f]) *velut abacto amne, tenuis alveus, inſulam inter Germanoſque, continentium terrarum ſpeciem fecit.* Ab illo autem tempore recens ALVEUS GALLICUS lato & alto gurgite *Rheni* aquas, tectà in occaſum ſemper rapuit; & poſt M. P. L. *Iſlæ* amniculo indigenæ miſtas (ubi hodie Trajectus **Yſſelbeer**) tandem per *Moſæ* & *Vabalis* commune oſtium *Oceano* affudit.

(f) V. Hiſt. c. 19.

IV. AMISIA, AMASIA, AMISIUS, AMASIUS Fl.

CLariſſimus Germaniæ Transthenanæ amnis, hiſce nominibus *Straboni*, *Melæ*, *Plinio*, *Tacito*, *Ptolemæo* memoratus, accolis *Embs*, *Emeſe*, *Emis* & **Emms** dicitur. Scaturit copioſo fonte, profunda in valle, haut procul à Teutoburgienſi ſaltu, ubi *Teuteberg* (teſte Lipſio) ([g]) in Lippienſi, uti loquuntur, Comitatu, quem clades Variana & Cæſaris Germanici pietas, de qua Tacitus ([h]), tantopetè nobilitavit. Dum navibus impar eſt, fertut àb Oriente in Occidentem per M. P. XLVIII. Deinde Septemtriones petit, & tractû M. P. CXX. medius *Friſios* inter *Caucoſque*, ad *Burchanam* inſulam, duplici Oſtio (de quibus infra ſeorſum) in *Oceanum* tranſit.

(g) In Not. ad Tac. An: I. c. 60.
(h) I. Annal. d. c. 60.

V. AMISIA OPIDUM ſeu VICUS.

INitio Imperii Veſpaſiani, quo pertingit Hiſtoria Taciti, nulla necdum Opida fuerunt trans *Rhenum*, imò ne quidem in *Inſula Batavorum*. Seculo autem proximè inſecuto, Marci Principatu, *Ptolemæus* Peluſiota, Geographus & Aſtronomus inſignis utrobique plurima numerat ([i]). Et in his AMISIAM ſeu AMASIAM ([k]) ad *Flevi* etiam orientem ſatis longè. Hodiè loca tria, potiſſimum illo nomine, nota ſunt, ad *Amiſiam* amnem poſita olim omnia: Primus amne lævo, in *Friſiis*, qui ad diſtinctionem **Weſter-Emden** id eſt *occidentalis Amiſia*: Secundus dextro, in *Caucis*, qui ſimpliciter **Emden** ſeu *Amiſia*. Tertius *Emſpring* ad *Amiſiæ*

(i) Geog. Lib. II. c. 11.
(k) Geogr. Lib. VIII. c. 2. Tab. IV. Europ.

fontes, cujus Ptolemæus bis meminit. Primus *Tacito* memoratus, nunc vicus modicus, procul jacet ab amne. Secundus antiquorum nemini; nunc tamen Urbs ampliſſima, amnis pœne domina. Cui hodierna loci celebritate abrepti non *modo* Taciti, ſed etiam Ptolemæi Opidum AMISIAM dextro amne in Caucis collocant, ubi in præſentia *Amiſia Orientalis* ſeu *Emda*: Næ! illi violentas manus inferunt utrique, præſertim Tacito, hac in parte luculentiſſimo; utrumque Germanici iter ad AMISIAM, hocce verborum textu, deſcribenti; ([l])

(l) I. Ann. c. 60.

Cæſar Cæcinam cum XL. cohortibus Romanis per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit. Equitem Pedo finibus Friſiorum ducit. [puta ex Batavorum Inſula] *Ipſe impoſitas navibus IV. Legiones per Lacus vexit. Simulque Pedes, Eques, Claſſis apud prædictum amnem convenere*, &c. Et poſtea; ([m])

(m) I. Ann. c. 63. & 70.

Mox reducto ad AMISIAM exercitû, Legiones claſſe, ut advexerat, reportat. [poſt breve & miſerabile iter terreſtre duarum Legionum, de quo mox] *Pars Equitum littore Oceani petere Rhenum juſſa. Cæcina ſuum militem ducere notis itineribus.* [per Bructeros uti venerat] *At Germanicus Legionum, quas navibus vexerat, ſecundam & quartamdecimam itinere terreſtri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior claſſis vadoſo mari innaret, vel reciproco ſideret. Vitellius primum iter, ſicca humo aut modicè allabente æſtu, quietum habuit, mox impulſu aquilonis,* [propriè Cori] *ſimul ſidere æquinoctii, quo maximè tumeſcit Oceanus, rapi agique agmen. Et opplebantur terræ, neque diſcerni poterant brevia à profundis, permiſcentur inter ſe manipuli, modò pectore, modò ore tenus exſtantes, aliquando ſubtracto ſolo, disjecti aut obruti. Tandem Vitellius in Editiora eniſus, eodem agmen ſubduxit. Pernoctavêre ſine utenſilibus miſerabiles. Lux reddidit terram penetratumque ad amnem Unſingim,* [ita legendum eſſe, non *Viſurgim*, ſuo loco demonſtrabitur] *quò Cæſar claſſe contenderat: impoſitæ deinde Legiones, vagante famâ ſubmerſæ; nec fides ſalutis antequam Cæſarem, exercitumque reducem vidêre.*

(n) II. Ann. c. 5. 6. 8.

Rurſum Libro proximo: ([n])

Cæſar celerandæ victoriæ intentus [exiſtimavit] *ſi mare intretur, promtam ipſis poſſeſſionem & hoſtibus ignotam, ſimul bellum maturius incipi, legioneſque & commeatus pariter vehi: Integrum equitem equoſque per ora & alveos fluminum in media Germania fore. Mille naves ſufficere viſæ, properatæque; aliæ breves, anguſta puppi proraque & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent; quædam planæ carinis, ut ſine noxa ſiderent, plures appoſitis utrinque gubernaculis, converſo ut repentè remigiô hinc vel illinc appellerent. Multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta veherentur, ſimul aptæ ferendis equis, aut commeatui, velis habiles, citæ remis*, &c. *Inſula Batavorum in quam convenirent prædicta*, &c. *Ubi claſſis advenit, præmiſſo commeatu & diſtributis in Legiones ac ſocios navibus, Foſſam, cui Druſianæ nomen, ingreſſus, Lacus inde & Oceanum* [alibi vadoſum mare] *uſque ad Amiſiam flumen, ſecundâ navigatione pervehitur. Claſſis AMISIÆ relicta, lævo amne; erratumque in eo, quod non ſubvexit: Tranſpoſuit militem in dextras terras iturum. Ita plures dies efficiendis pontibus abſumpti. Et eques quidem ac Legiones prima æſtuaria* [quæ, ripis aggere nondum munitis, abfuiſſe non potuerunt

inter

inter Oſtium Fivelæ, **de Mude** / & Oſtium Ehæ, *ter Ee-munde* ſeu **Termunte**] *nondum adcreſcente undâ, intrepidi tranſiêre: Poſtremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum inſultant aquis, artemque nandi oſtentant* [æſtu maris jam nimis aucto] *turbati & quidam hauſti ſunt.* Poſt hæc denique perrectum liquet ad ſuperiorem *Amiſiæ* partem, qua flumen confectis pontibus, de quibus ſuprà, jungi, & miles commodè tranſponi potuit. Loci quidem nomen non addit Author: Fuiſſe tamen ad fines *Chaucorum*, qui Romanum exercitum, ituri in commilitium, præſtolabantur, nihil æquè vero conſentaneum eſt. Confectâ autem expeditione, *æſtate jam adultâ* uti ſubjicit noſter, (o) *Legionum aliæ itinere terreſtri in hibernacula remiſſæ, plures Cæſar claſſi* [quam AMISIÆ reliquerat] *impoſitas, per flumen Amiſiam Oceano invexit. Ac primo placidum æquor mille navium remis ſtrepere, aut velis impelli. Mox Auſter rapere disjicereque naves in aperta Oceani,* &c. *Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit* [ex qua ſcilicet non ſolverat.] (o) II. Ann. c. 23 & 24.

Ex hiſce omnibus quid clarius aut magis apertum, quàm Germanici claſſem; cis *Amiſiam* fluvium in ſtatione fuiſſe? apud AMISIAM Occiduam, fortè poſteà Opidi nomine decoratam: minimè verò ultra flumen prædictum. Quî enim Vitellius ſiccâ humo legiones ducere inde potuit ad *Unſingim* agri Groningani amnem, quo Cæſar claſſe contenderat, *Rhenum* repetens? Quî pars equitatus eòdem ſequi, itinere terreſtri, littore *Oceani*? Quî Cæcina ſuum militem notis itineribus, per *Bructeros*, eodem ducere? Quorſum Eques, Legiones, Auxiliarii, *Batavique* tranſiêre æſtuaria cum diſcrimine & jactura, ſi ſubvecti fuiſſent ultra? Quorſum pontibus efficiendis abſumpti dies plures? Quorſum, iis confectis junctus fluvius? Quorſum juncto tranſpoſitus miles in dextram ripam, ſi claſſe ad eandem jam fuiſſet expoſitus? Quî denique Germanici triremis commodè dici poteſt appulſa *Chaucorum* terram, niſi aliunde ſolviſſet? Aſt verbis temperandum verecundia jubet, ob reverentiam tantorum Virorum, qui cuncta hæc miſerè diſtorſerunt. Nulla alia de cauſa, quam quòd barbaræ Latinitatis hiſtoriam faſtidiosè nimis deſpexerint. In hac enim obſervaſſent *Emetham*; (uti vocant Werumæi Antiſtites, qui ſui temporis, id eſt ſeculi XIII. Chronicon reliquêre) ſeu *Emdam*, quæ Romanis AMISIA, primarium fuiſſe locum in *Fivelgoa*, nobiliſſimo *Friſiorum* Pago, lævâ *Amiſiæ* ripâ; Quondam inclytum uſu ſignandi monetam, quæ, nomine *Marcæ Fivelingicæ*, ut eſt apud Emmium (p) Phœnicem noſtrum, vel *aurei Emdenſis* [**Emder-gulden**] ante plurima ſecula hiſce terris valuit, atque etiamnum valet, nullo licet peculiari numo. Perduraſſe quoque loci celebritatem; ſeculo XIII. eſt apud eundem (q) Cùm nondum fando, de *altera Amiſia* in pago *Emiſgoa* ad dextram ripam quicquam fuerat inauditum; ſcilicet cujus mentio prima, eademque ſubobſcura incidit demum toto ſeculo poſt, eòdem teſte, (r) poſtquam deſitum fuit acta litteris latino-barbaris ſignare. Sed alibi dabitur occaſio de *Emethâ*, *Fivelgoâ* & ſimilibus, plenius diſſerendi.

(p) Hiſt. R. Friſ. Lib. X.

(q) Lib. IX. fa.

(r) Lib. XIII. & XIV.

VI. AMISIA STATIO.

DExtrô *Friſiorum* latere, quod lævus *Amiſiæ* amnis alluit, eſſe locum fluvio cognominem, ad quem Cæſar Germanicus utraque expeditione in Arminium & Cheruſcos, exercitus partem à *Rheno*, per *Lacus*, *Vadoſum mare* & *Oceanum* claſſe advexit, claſſemque, expoſito milite, reliquit; Tacitus [ſ] locuples teſtis eſt; Et cuivis ultrò perſpicuum fit qui oram hanc curatius perluſtrat. Hodiè ſiquidem vetus oſtium [ſeu **Mude**] *Fivelæ* (qui agri Groningani rivus eſt ex *Saponis Lacu* paludeve in *Amiſiam* tum profluens) ſejunctum conſpicitur à ripa proxima M. P. VIII. Certiſſimo indicio, fluvii alveum, ſeu verius ſinum eò uſque quondam pertinuiſſe, nomenque dediſſe Vico ad intimum fortè ſinus receſſum III. quaſi M. P. à *Mudà*, Corum verſus. Qui, *Emda* ſeu AMISIA, & quidem, à ſitu ad lævum amnem, *Occidua* appellatur, vulgò **Weſter-Emden**. Atque hîc navium armamenta ferrea toties ferè eruuntur, quoties humô novâ, quam mare adjecit, perfoſſâ, penetratur ad veterem. Claſſem igitur Cæſar Germanicus, AMISIÆ relictam, hoc in ſinu, hoc in receſſu, ad hunc ipſum locum ſtetiſſe, ceu tutiſſimâ STATIONE, hiſce ritè perpenſis & perceptis tandem agnoſcent, qui hactenus illum Taciti locum, [t] immò ſeipſos, fatente Cluverio, [u] variè vexarunt.

[ſ] Ann. I. & II. dal. cc.

[t] II. Ann. c. 8.

[u] Germ. Antiq. Lib. III. c. 18.

VII. AMSIBARII, ANSIBARII, AMPSIVARII, ANSIVARII & ANSVARII.

VAriâ adeò ſcriptione hujus Gentis nomen Veteribus editum. Quarum optima propalam eſt, quæ à vernaculæ vocis etymo quam minimùm recedit. AMSIBARII ſcilicet; quâ voce, nulla alia fingi poteſt ore Romanô, magis congruens Germanorum **Embs-bauren**. Infelix & miſeranda Gens, non quidem *Batavorum* aut *Friſiorum* finibus comprehenſa; ſed ideo memoranda, quòd in veteri ſede proximi, in novâ verò æmuli aut ſocii Friſiorum fuerint. Primas autem ſedes habuiſſe videntur, ultra vaſtas illas & inacceſſas Friſiorum paludes [hodie notas nomine **Boertange**/ ab his ipſis fortè **Emsboeren** ſeu AMSIBARIIS] ad Amiſiæ ripam longo & anguſto in meridiem tractu. Ubi iterùm hodierni Incolæ **Emslanders** & **Emsboeren** vocantur. Hinc pulſos AMSIBARIOS narrat Tacitus, [x] Nerone jam imperante, à *Chaucis* finitimis, invalidos à potentiſſimis: Atque ita ſedis inopes, ſed adjacentium Populorum, maximè *Bructerorum*, quorum in clientela cum *Chamavis* fuiſſe veroſimile eſt, [y] miſeratione validiores, occupaſſe agros ad ripam Romanæ ditionis vacuos, militumque uſui ſepoſitos; quondam à variis etiam inſeſſos, *Chamavis*, *Tubantibus*, *Uſipiis*, & noviſſimè à Friſiis, qui per lacus & paludes illi ripæ [*Rheni* orientalis dextræ ergò

[x] XIII. Ann. c. 55.

[y] Vide infrà in Bructeris.

ergò citra controverſiam] admoverunt colonos ferè imbelles, jam pridem illata neceſſitate recedere juſſos. Avitum autem Inferioris *Germaniæ* Legatum à Bajocalo AMSIBARIÆ Gentis primario Viro exorari non potuiſſe, ut tutum illic concederet exſilium. Igitur migrare compulſos, & ſociorum præcipuis *Tencteris* primò; mox etiam *Bructeris* Patronis deſtitutos, retrò ad *Uſipios* & *Tubantes* conceſſiſſe, & horum quoque terris exactos, tandem à *Cattis* & *Cheruſcis*, quos petiiſſent, errore longo, hoſpites, egenos, hoſtes, cæſos fuiſſe omnes, ſolâ imbelli ætate in prædam diviſâ. Quæ tamen in Gentem iterùm evaſit, & poſt annos XXX. veteri, ut videtur, miſeratione vicinarum nationum, quarum conſenſu ſuper LX. millia *Bructerorum*, ob ſuperbiam, exciſi fuerunt, agri eorundem partem accepit, proximam vacuis illis, quos quondam ſupplicibus denegaverat Avitus. Tacitus ([z]) quidem *Chamavis* in hiſce *Bructerorum* ſedibus *Angrivarios* jungit; ſed AMSIVARIOS legendum eſſe, fidem faciunt Tabula P. & Alexander Sulpicius ([a]) apud Gregorium Turonenſem. Num *Friſiis* dextram hanc *Foſſæ Druſianæ* oram poſteà occupantibus, in illorum nomen conceſſerint, an verò, cum Francis aliò migrantes; deinceps non niſi communi nomine fuerint appellati, non adeò laborandum eſt; cum utrumque vero conſentaneum ſit. Partem ſcilicet, quæ emigravit nomini *Francorum*, quæ remanſit *Friſiorum* acceſſiſſe.

(z) Germ. c. 33.

(a) Hiſt. Fran. Lib. II. c. 9.

VIII. Ara ad Rheni Oſtium.

IN ruderibus Arcis Britannicæ repertum eſt fragmentum antiqui marmoris cum imminuta inſcriptione; quæ exſtat apud Hadrianum Junium ([b]) Virum diſertiſſimum & curioſè diligentem in Patriæ antiquitatibus rimandis, utinam æque felicem in explicandis. Hæc, licet ab omni parte truncata, palam tamen facit ARAM, haut dubiè Druſo vel à Druſo ſtatutam, in primo illo caſtello, quod hibernandis militibus, in ipſo littore ad Rhenum extruxit, bis fuiſſe RESTITUTAM. Primùm A DIVO CLAUDIO, incertum quo caſu colliſam, exemplo Germanici fratris, qui alteram; trans Rhenum Patri ſitam, dudum reſtituerat. ET POSTEA A DIVO SEVERO, PATRE Antonini Caracallæ, qui denuò dedicatæ, vel à ſe ornatæ hoc monumentum poſuit: Poſtquam in cineribus fortè jacuerat à Belli Civiliani exordio, quo *Caſtellum* ipſum, unà cum proximo, incenderunt ipſi Præfecti Cohortium Romanarum, quarum caſtra *Friſii* à Brinione *Caninefate* acciti, ab *Oceano* irruperant atque diripuerant, narrante Tacito. ([c]) Atque hinc de reſtitutæ ARÆ Auctoribus præclarè quidem conſtat. Neque adeò obſcurè colligitur, eoſdem illos utrumque Caſtellum inſtauraſſe, qui ARAM & Armamentarium (de quo infra) Nempe L. Septimium Severum Aug. & M. Aurel. Antoninum Cæſares. Et quidem Caracallam, Caſtellum ad ARAM & RHENI OSTIUM, poſt Severi Patris exceſſum demum perfeciſſe, mole verè Romanâ;

(b) Batav. c. X.

(c) IV. Hiſt. 15.

Romanâ; uti ex ruderibus, quæ Oceanus, diutino Euro, procul à littore fugatus, aliquando conſpicienda præbet, liquidò cognoſcitur. Romanum ejus nomen nulli Veterum memoratur. Scriptores Latino-Barbari *Brittenburgium* dixere. Accolæ **Het Huys te Britten** / incognitâ nominis origine, & humano ingenio, in tanto ſilentio, haut perſcrutabili. Sed nec excidii tempus moduſve Annalium monumentis prodita: Licet Normannorum vel fluctuum furori, vel utriſque illud tribui à vero non abhorreat. Qui noſſe avet Doctorum Virorum conjecturas, adeat L. Guicciardinum, H. Junium, Ph. Cluverium, utrumque Douſam, P. Scriverium, fuſe diſputantes de hac Arce; Cujus veſtigia, ex nudatis fundamentis idem Junius autoptes ita deſcribit; (d)

(d) Batav. c. X.

Fuit Armamentarium iſtud formâ quadratum, paribus in omnes partes ſpatiis productum. Quodlibet autem univerſi operis latus ducenos quadragenos pedes complectitur, nimirum vicenas noſtrates Metatorum decempedas, quo menſuræ modo decempedam in duodenos porrigi pedes cognoſcitur. Turrium propugnacula in Rheni præterlabentis ripam obverſa fuiſſe apparet, ad majorem operis firmitudinem, contra fluenti vim & hoſtilem quoque, ſi quam piratica afferret. Procurrentes utrimque, illinc verſus orientem ſolem, hinc occidentem, murorum ductus extra arcis aream, cloacæ videntur fuiſſe, per quas omnium purgamentorum receptacula, quicquid erat ſordium, aquam admiſſam & caſtellis receptam, proluiſſe atque in mare exoneraſſe crediderim. Saxa ingentia & fundamentis eruta, quæ vidi, quaternos pedes longa ferè erant, ternos craſſa, quæ anno CIƆ IƆ LII. *ad quadraginta numero refoſſa, annotavi. Extra arcem ripæ margines craſſioribus tabulis præſtructi erant, &, palis per fiſtucas altius adactis, præmuniti, ne ab undis decurrentibus adederentur.* Hactenus ille. In hoc ſaltem falſus, quòd Armamentarium illa in Arce fuiſſe mordicus contendat; uti mox *ad Armamentarium* pluribus demonſtrabitur.

IX. ARENACUM, ARENATIUM, ſeu HERENATIUM.

POſtquam Brinio *Caninefas*, ope *Friſiorum*, Romanas Cohortes, direptis caſtris, inferiore parte Inſulæ *Batavorum* exegerat, ſub Belli Civiliani initium; tantum Belli ſuperfuiſſe ſcribit Tacitus, (e) ut reliqua præſidia in parte ſuperiore, modicis vicis ad Rhenum quadripartita, ejicerentur & ipſa. In hiſce autem vicis numerat ARENACUM. Nihil igitur ambigendum, quin intra Inſulam fuerit, & quidem parte ſuperiore ad amnem. Tabula P. deſignat locum M. P. X. à *Noviomago* & XI. à *Colonia Trajana* ubi hodiè **Cöln** ſeu **Kellen** vicus, ab arce **Cleve** proximus. Atque ſecundum hæc, verus ARENACI ſitus eſt, ubi Rheni ripa, pari ferè itineris ſpatio recedit à *Noviomago* & *Colonia Trajana*. Quod nemo uſquam demonſtraverit, niſi VIII. circiter M. P. infra ipſum divortium. Fruſtrà itaque ſunt, qui ARENACUM è regione *Arnhemi* indubitanter ponunt, atque in ulteriorem ripam jam

(e) V. Hiſt. c. 20.

tranſlatum,

tranſlatum, nullo licet idoneo authore, fidenter aſſerunt: Idemque accidiſſe *Fletioni*, *Leveſano*, *Grinnibus*, *Vadæ*; quæ in *Friſiorum* ſolo, vocarentur hodiè **Vleuten / Levendal / Rinen / Wageningen.** Quidnî pari conjectandi fiduciâ, itidem tranſponunt *Lugdunum*, *Prætorium Agrippinæ*, *Matilonem*, *Albiniana*, *Nigrum Pullum*, *Batavodurum?* &c. Cùm non deſint, in ripa adverſa, ſoni propinqui vocabula, ceu ſunt **Lokhorſt / Bredrecht / Homade / Albrechtsvierdel / Pulmat, Dooren.** Sed hujuſmodi luſus leviores ſunt, quam qui deceant Viros graves. Satis eſt ingeniô uti, quotieſcunque occurrunt, eôdem pænè ſitu, vetera & nova, vocibus non ita diſſonis; nec ſignificatu diverſis. ARENACUM autem & *Arnhemum*, præter primam ſyllabam nihil habent commune. Non ſitum; ſejuncta enim ſunt ad M. P. X. fluviorum principe etiam interlabente. Non nominis ſignificatum; ARENACUM enim germanice doctis, eſt, *Dorſum terræ*, *aquis eminens*; *Arnhemum* verò, *Arnoldi villa*. Nam **Hare /** tot undique locis commune nomen, ſignificat anguſtum & oblongum tractum terræ, inter humilia ſeſe attollentis. A. verò, ACH. AC. vel Y. ICH. IC. ſunt appellativa aquarum: Atque ex hiſce duobus factum eſt **Harenach** vel **Herenich**; unde ARENACUM Taciti, & *Arenatium* Tabulæ ſine ſpiritu, item *Herenatium* Antonini, cum aſpiratione. Nulli autem Germano non cognitum eſt, **Heem / Heim / Hem /** Villam aut locum domicilii denotare: Et **Arent** ſeu **Arnhold** eſſe nomen Virile hodieque uſitatiſſimum. Cæterùm ſi omninò neceſſe ſit commonſtraſſe aliquas priſci nominis reliquias circa hunc ipſum locum; Non adeò abhorrent ab Arenatio & Herenatio, **Aert** & **Herwert** vici proxime vicini.

X. ARMAMENTARIUM.

ROmana Hiſtoria nullius quidem Armamentarii apud nos meminit; ſed unicus tantùm lapis parte infimâ Batavorum inſulæ repertus, cujus Inſcriptionem Petrus Scriverius (f) ſummus Vir, ſervatâ characterum formâ è contortuplicationibus, ut ait, ad ipſum marmor deſcriptam, ita exhibuit.

(f) Ant. Bat. Tab.

IMP·CAES·L·SEPTIMIVS·SEVERVS·AVG·ET
M·AVRELIVS·ANTONINVS·CAES·COH·XV
VOL·ARMAMENTARIVM·VETVSTATE
CONLABSVM·RESTITVERVNT·SVB·
VA·PVDENTE·LEG·AVG·PR·PR·CVRAE·
CÆ CIVL· BATE· PRÆE·

Atque hoc modo enodavit;

Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Auguſtus, &
Marcus Aurelius Antoninus Cæſar, Cohortis decimæ quintæ
Voluntariorum, Amamentarium, vetuſtate
Conlabſum, reſtituerunt, ſub
Valerio Pudente Legato Auguſtali, Pro Prætore. Curante
Cæcilio Batone Præfecto.

Sed, niſi valde me fallunt notæ, ultima linea ſic erit exponenda,

CÆLIO CIVILE BATAVONE PRÆFECTO.

Nota ſiquidem CÆ nihil aliud quam CÆL, & integre CÆLIO. Nec CIVL aliud quam CIVIL. id eſt CIVILE. BATAVONE Batavum indicante: eodem modo, quo *Friſii*, Friſiones; *Franci* Francones, &c. quoque vocati. Et ſic ſatis conſtat ARMAMENTARIUM fuiſſe in *Batavis* vel *Caninefatibus*, & quidem Cohortis Quintadecimæ Voluntariorum, antiquum adeo, ut, Severo & Antonino Augg. collapſum vetuſtate, fuerit reſtitutum. De loco ſitus multum diſputatur. Junius illud ipſum ponit infra *Lugdunum* in littore, ubi antiquiſſimi munimenti rudera, longiſſime recedens *Oceanus* perrarò detegit, & quondam *Ara* quoque fuit, uti jam oſtenſum. Cluverius ([g]) e contrario ſupra *Lugdunum* in vico **Roomburg**. Uter rectius? ex loco reperti marmoris optime dignoſcetur. Junius aſſerit lapidem hunc e ruinis *Brittenburgi* extractum Ann. cIↃ IↃ xx. Cornelius Aurelius ([h]) verò, Magni Eraſmi Præceptor, eundem ſua ætate Anno cIↃ IↃ II. inventum, & quidem aratro humum proſcindente, tredecim poſt annos publico jam exhibuit: Et Gerh. Noviomagus, ([i]) etiam ante Aurelii editionem, apud ſe fuiſſe teſtatur. Lapſus itaque Junius, circa inventionis tempus; pariter, quod ad locum, erroris ſuſpicionem incurrit. Romæoburgium

(g) Germ. Antiq. Lib. II. c. 36.

(h) Bat. Lib. I. c. 6. & 7.

(i) Præfat. & Princ. Hiſt. Batav.

burgium quidem nec Geldenhaurio nec Aurelio diſertim nominatur; aſt locus prope *Leidas* vel *Legiam* opidum, aratro aptus; ubi, leviter ſub terra, latent *fundamenta magni Palatii & ruinæ Romanorum arcis; cujus ſanè muri* (ſunt verba Aurelii) *ſenos in latitudine, ducentos in longitudine pedes habebant, & in ſingulis ejus quadraturæ angulis, ſingulos opere ſphærico miræ amplitudinis turres.* Quæ quidem *Romæoburgio* convenire poſſunt, *Brittenburgio* neutiquam. Scilicet cujus Ichnographiam longe diverſam ipſe deſignat Junius: Et fundamenta inſuper jam tum mari vel arenoſo littore ſepulta agnoſcit. Subſcribendum itaque Cluverio & Scriverio, quòd Arx, quæ vocatur Romana, fuerit ARMAMENTARIUM, non Arx Britannica. Sed & Prætorium Agrippinæ eodem in loco fuiſſe, ſuo tempore comprobabitur. De Schola tamen, ſaltem litteraria, Aurelio, ſine teſte loquenti; nondum credimus; uti nec de Auctore operis Nerone.

XI. ASCIBURGIUM.

CAmpos ſiccos in arva perennia excultos, Campeſtres noſtri Eſch & Eſſchen ab antiquo vocant: aliqui, omni aſpiratione omiſſâ, immo & E. in A. mutatô, Eſſen / Aſſen. A quibus pæne innumeris Germaniæ ulterioris citerioriſque locis accerſita denominatio, videlicet Eſſen / Eſſel / Esbeek / Eſchwege / Eſchoten / Eſchterhuys / Eſchterhof / Eſſcherbrugge / Keyſers-Eſch / Konings-Eſch / Bokel-Eſch. & rurſum Aſſche / Aſſen / Asfelt / Asbeek / Aswin / Aſſchendorp / Aſſinchuyſen / Aſchoven / Aſſenberg / Aſſcheburg vel Asburg; Pro quo Latini & Græci ASCIBURGIUM, ſed de duobus tantum locis ad *Rhenum*, dixêre. Alterô in ripa Gallica *Nivesium* inter & *Vetera*, cujus Tacitus ([k]) & Tabula P. meminêre; Alterô in ripa Germanica, inter *Vetera* & *Batavodurum* Opidum; Nulli, præter Ptolemæum, ([l]) memorato. Niſi tranſrhenano huic ASCIBURGIO convenientiora quis putet, quæ Tacitus, ex antiquis forte Germanorum cantilenis narrare, non confirmare voluit ([m]). Ptolemæo ([n]) certe ASCIBURGIUM, eſt ad orientem *Rheni*, & quidem illius alvei, qui effunditur per *Flevum* ſeu Oſtium Orientale.

(k) IV. Hiſt. c. 33.
(l) Geogr. Lib. II. c. XI.
(m) Libell. de Germ. cap. 3.
(n) Confer prr. c. IX. & XI.

Cæterùm ſi longitudinis & latitudinis differentia ad amuſſim exigatur, diſtat *Batavoduro* Opido ſeu *Batavoburgio* M. P. XVIII. ubi & *Foſſa Druſiana* incipit. Certiſſima ſequenti neceſſitate; ad ſecundum hoc *Rheni* divergium, quondam fuiſſe poſitum ASCIBURGIUM: Quia ultra dextrum Alveum, nec amplius M. P. XVIII. à *Batavoduro* ad *Moſam*. Hodie illo in angulo, eſt vicus Parochialis Weſterſoort. Num etiam exſtet alia quædam denominatio ab Aſch vel Eſch / nondum perquiſivi.

XII. AUCHI.

(o) Nat. Hiſt. Lib. IV. c. XV.

VExatiſſimus Plinii locus (°) eſt, qui vulgò ita legitur; *In Rheno ipſo, prope centum M. P. in longitudinem, Nobiliſſima Batavorum inſula & Cannunefatum, Et aliæ Friſiorum, Cauchorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium & Flevum. ita appellantur Oſtia in quæ effuſus Rhenus.*

In hæc cuncta, infeſto agmine invehitur tota interpretum cohors, ita ut nemo ſit, qui non aliquid carpat. Alii C. M. P. longitudinem toto littore Hollandico, à Promontorio ad Moſam cui nomen Beer / ad *Helderenſe*, neutiquam deprehendi, verè quidem aſſerunt: cùm vix LXX. M. P. illa intercapedine contineantur. Sed errant in Oſtiorum ſitu. Alii pro *Cannunefatibus Cannenefates* reponunt. Alii *Cauchos* & *Sturios* hoc ſpatio nullos agnoſcunt: *Friſiabones* verò nuſquam. Et legendum putant *Friſiorum Majorum*, *Friſiorum Minorum*, *Marſatiorum*. Alii *Caucos* quidem ferunt & *Friſiabones*: Sed ex *Sturiis Tuſios* faciunt. Alii *Marſatios*, ceu Marſorum parti inter *Rhenum* & *Flevum* ſedes concedunt, ſed procul à Mari, lacubus, paludibuſve, nec ſeorſum in peculiari Inſula. Alii QUÆ relativum mutant in QUE conjunctionem, vocique *Marſatiorum* ſubnectunt. Alii ſuſpicantur, *Helii* nomen, nuſquam alibi memoratum, mendoſe de *Moſæ oſtio* prædicari. *Flevum* denique *Oſtium*, licet vitiatæ ſcripturæ nemo arguat, plerique tamen finibus haut congruis limitant. Verbo; in id conjuraſſe videntur, ut vulgatam lectionem non tam emendent quam evertant. Quæ tamen ceu modis omnibus accuratiſſima, & retineri & ſuſtineri debet, nullâ omnino mutatione. Niſi, quod C. à voce CAUCHORUM reſecetur, ſi forte Veteribus Parentheſeos ſigna incognita; ſin ſecus, Plinius intelligatur, ejuſmodi ſignis incluſiſſe IV. Populorum nomina, vocem *Friſiorum* ſubſequentia: ita ut primus character non denotet literam C; ſed ſignum parentheſeos incipientis: Nec virgula recurva ,. poſt *Marſatiorum*, notam inter Periodi articulos; ſed ſignum parentheſeos abſolutæ. Atque adeo AUCHOS ſcripſiſſe, non *Cauchos*, uti effinxerunt Typographi ab Exſcriptoribus minus perſpicacibus decepti, vel ipſi obtuſâ acie. Plinius itaque dum ſcripſit; IN RHENO IPSO, PROPE CENTUM M. P. IN LONGITUDINEM, NOBILISSIMA BATAVORUM INSULA ET CANNUNEFATUM. ET ALIÆ FRISIORUM (:AUCHORUM, FRISIABONUM, STURIORUM, MARSATIORUM:) QUÆ STERNUNTUR INTER HELIUM ET FLEVUM &c. &c. Hoc voluit; *Quòd in ipſo Rheno*, id eſt, *inter* duo cornua extrema, quorum lævum Oceano infertur; ubi *Moſæ* nomen verſum in *Helium*, inter Helvoet & Goeree; Dextrum vero inter Inſulas Terſchelling & *Flevum* ſive Flieland / *Prope centum M. P. in longitudinem* (exploratiſſima dimenſione) *habitent duarum nec plurium Nationum partes*, *Batavorum ſc.*

&

& Friſiorum; *idque Inſulis V. Quarum nobiliſſima*, cis amnem principem, eſt *Batavorum*, *cujus partem inferiorem colunt Cannunefates. Aliæ IV. Friſiorum*, atque adeo trans fluvium terminatorem omnes. *Quarum prima*, eademque ſuperior ad *Foſſam Druſianam* & oram Lacus, ab agris marginatis, qui Auwen vernaculè vocantur, *AUCHORUM* dicta fuit. *Secunda* inter Lacum illum immenſum & minores plurimos cis & ultra ſinum 't IJ, *Friſiabonum*. *Tertia* inter *Salæ* abacti tenuem tum alveum, & *Flevum* iterùm fluvium, à Lacûs orâ ſeptentrionali ad *Oceanum*, *Sturiorum*. *Et quarta*, inter *Oceanum*, prædictos *Friſiabonum* Lacus minores & Sturios, *Marſatiorum*.

Quos igitur Plinius AUCHOS primô locô nominavit, hi ſunt illa pars *Friſiorum*, qui ab auſtro Lacui *Flevoni* prætexti inter utramque Mudam, cætera Rheno ipſo, elicibuſque foſſis ambiuntur. Romani Scriptores enim locorum ſitus enarrando à ſuperioribus ad *Oceanum* progredi & deſcendere conſueverunt. Sic in læva Inſula primò *Batavi* ceu ſuperiores; poſtremò *Cannunefates Oceano* propiores, hic fuerunt nominati: Nec aliter proceſſum in hac dextra: AUCHIS nempe ſubjuncti *Friſiabones* proximè inferiores; His *Sturii* aliqua parte Oceanum accolentes; Ac ultimi *Marſatii*, in maximam longitudinem ſecundum littus porrecti.

AUCHORUM autem nomen in illa, quam diximus *Friſiorum*, Inſula, natum ab agris, quos aquæ fluviatiles & lacuſtres undique irrigant aut arrodunt, Awen vulgò dictis, hodie non uno in loco viget. Haut procul à *Muda* citeriore eſt tractus paluſtris, qui ab AUCHIS, vernaculè Aukers/appellationem Auke-veen retinet. Immò omnis Præfectura Mudenſis ab Aw nomen invenir. Sicuti enim Germani ſuperiores Aw in Gaw & plurative in Gew mutant: ita inferiores Ow in Gow & Go/ & obliquè in Op & Gop variant. Unde *Goylandia* dicta, quaſi AUCHORUM terra. Sed parum præſidii foret in hoc ſolo angulo; niſi tota Regio ab eadem origine liquidò nomen uſurparet, licet cum *Flevi* appoſitô. Haut dubie olim dicta Vlie-aw accuratè loquentibus, quæ hodiè, levi metatheſi, Velaw / vocatur. Igitur nulla urget neceſſitas, ut à *Cauchis* vel *Chaucis* trans *Amiſiam*, mutuemur colonos, vel à *Marſis* reliquias; quò hujus Inſulæ habitatoribus, à Gente, pluribus ſcriptoribus quam uni Plinio celebratâ, conciliemus originem. Sunt enim puri puti *Friſii*, non Populus alius & diverſus; ſed cui ab ingenio ſedis AUCHORUM cognomentum contigit. Quòd & uſu venit *Friſiabonibus*, *Sturiis*, *Marſatiis*, de quibus ſuo loco.

B.

I. BADUHENNÆ LUCUS.

[(p) G. An. Lib. I. c. 26.]

DEam, hoc ferè nomine, apud Germanos fuiſſe, minimè ambigendum. Cluverius (p) ſanè inquirit, ſimulque deducit etymon ab Arabico *Bedon*, quod Latinè *principium*, germanicè 't anſang interpretatur, atque putat idem fuiſſe Numen BADUHENNAM & *Tanfanam*. Quicquid ſit, ſub utroque nomine Lucos ſacratos Tacitus (q) memorat. Unum in *Marſis* cum celeberrimo Templo. Alterum in *Friſiis*, quem LUCUM BADUHENNÆ vocat; Incolis etiam hodie, eadem loquendi formâ HOLT PADE dictum. Nec procul inde ejuſdem Deæ vocabulum loco edito tributum reperitur, vulgò *Padeſlô* ſeu *Pâeſlô* id eſt, *Padæ Excelſum*. Et in *Cattorum* finibus vel propè, eſt fons PADÆ ſacer, à quo Padæborna, cum maxime ejus Diœceſæos Metropolis, appellata. Quòd verò Tacitus non *Padam*, ſed BADUHENNAM ſcripſerit; id Belgicæ ſuæ Germanis acceptum tuliſſe reor; Quibus haut inſolens eſt, particulam uwe variis dictionibus ſubnectere; ut ecce; pro Nie novo, Nieuwe; Pro Kaal Calvo, Kaaluwe / pro Zeen nervo, Zenuwe / pro Geel flavo, Geluwe / pro Peul cervicali, Peuluwe; Pro Arde Terra ſeu Veſta Dea, Arduwe; ex Arden-Boſch enim fecêre Romani *Arduhennam ſilvam* &c. Atque hac dialecto nuncupatum obſervavit hunc Lucum non Paden-hout; ſed Baduwen-hout / primâ etiam litterâ (quod perpetuum ferè obtuſius pronunciatibus) in B. converſâ. Eſt autem hic Lucus in *Friſiis* trans *Flevum*, in Pago, cui hodiè à VII. ſilvis nomen, Præfecturâ Stellingiorum occidentem verſus, [Stellingwerf Weſt-eynde) non longius IX. M. P. ab ora Lacûs. Et licet priſcum loci nomen, uti aliàs haut rarò, planè intercidiſſet, huc ferè nos duceret ipſa rei geſtæ ſeries à Tacito (r) contexta. Cùm enim Anno Ær. Chr. vulg. XXVIII. *Friſii*, qui ſunt trans *Flevum*, tum anguſta in re, ob avaritiam illorum, qui tributis præerant, pacem exuiſſent, militibus Romanis patibulo affixis, Rectore fugato, Caſtelloque, in quod ſe receperit, obſeſſô; L. Apronius Pr. Pr. Germaniæ Inferioris, ut hæc ultum iret, ex ſuperiore Provincia accivit vexilla Legionum, cum Legionariis Equitibus, & Cohortes turmaſque alares, in quibus Ala Caninefas & Germani Pedites merebant. Hoc tanto apparatu cognitô, *Friſii* obſidionem ſolvunt, & ad ſua tutanda digrediuntur Proprætori in occurſum. Qui utrumque Exercitum Superioris & Inferioris Germaniæ, Civium & Sociorum, *Rheno* & *Foſſa Druſiana* devectum, non item lacubus, uti Germanicus, quod probè notandum, mox *Friſiis* intulit, & quidem eò loci, ubi per *Æſtuaria* traducendum agmen. Sed ideò, non ad littus *Oceani*, uti argumentatur Cluverius (ſ). *Æſtuaria* enim, ut olim, ſic hodiè,

[(q) I. An. L.I. & IV. c. LXXIII.]

[(r) IV. An. c. 72. 73.]

[(ſ) G. A. Lib. III.]

hodiè, duplicis generis ſunt in *Friſiorum* ſolo. Quædam lubrico cœno adhuc diffluentia & quovis æſtu navigabilia, nobis **Watten**/ Romanis *Lacus* & *Maria vadoſa* dicta. Alia firmiore humo, multo gramine veſtita; ſed quæ, aggerum munientium defectû, æſtus majores adhuc patiuntur; aliàs arva, paſcua, prata inexhauſti proventûs viis publicis & incilibus foſſis diſtincta. Hæc talia, nos **Hammen**/ **Hamlanden**/ **Hamricken** & **Hemricken**/ id eſt agros ex maris ſinu recuperatos nuncupamus. Tacitus tum hîc, tum alibi *Æſtuaria* vocat.

Exercitus igitur ſuos expoſuiſſe debuit L. Apronius ad *Æſtuarium*, quod Foſſâ Druſianâ devectis, in orientali Lacûs ora, primum occurrit, **Blankeham** & **Yſſelham** hodiè appellatum. Per hoc ut traduceretur gravius agmen, crebra incilia aggeribus opplenda aut pontibus ſternenda fuêre. Soli Pedites Germani, cum Ala *Caninefate*, juſſi per vias, quæ ferè anguſtiores ob fundi præſtantiam, tum fortè ſub undis, ideòque *Vada* Tacito dictas, eniti & hoſtium terga circumgredi. Sed hos *Friſii* acie compoſiti vix æſtuario egreſſos facilè pellunt, mox etiam Equites Legionarios ſubſidio miſſos; tum Cohortes tres, rurſum duas, dein Alarios Equites, denique quod reliquum erat auxiliorum vulneribus onerant aut conficiunt. Et, niſi Legiones à feſſis & turbatis imploratæ, ſubitò prorupiſſent, & ante alios Quintani, concidiſſet omnis ſociorum multitudo & Civium Equitatus, atque adeò pars longè major utriuſque Exercitûs Rom. Quorum quidam recepti, quidam in interiora profugi, poſtero die, octavùm inſtauratâ pugnâ, VI. M. P. ab æſtuario heſternâ clade nobili, fuêre conciſi AD LUCUM BADUHENNÆ. Nonnulli, quos pavor longius proripuerat, cùm ad Caſtellum *Flevum*, quo properaſſe credendum eſt, penetrare deſperarent, mutuis ictibus procubuerunt. Reliquos Dux Romanus, ne humatis quidem cæſorum quanquam inſignium corporibus, quaſi fugiens in Provinciam reduxiſſe videtur. Atque ex hiſce omnibus ſatis ſuperque patet, cum Hiſtoriæ contextu, loci poſituram & nominis rationem pulchrè convenire.

II. Batavi.

Catti inferioris Germaniæ Populus maximus, bellicoſiſſimus & ſolertiſſimus. Illorum ultimi, quos Romani inter *Oceanum* & *fluvium gignendo ſale fœcundum*, *Mænumque*, *Rheno* & *Albi* effluentes, ſubegiſſe gloriantur. Variante dialecto & leniore aſpiratione *Hatti* quoque dicti, immò & *Chaſſi* & *Haſſi*; uti fidem facit Cluverius ([t]) exemplo *Chattuariorum* Strabonis ([u]) & *Chaſſuariorum* Taciti ([x]). Horum pars magna fuêre BATTI ad *Adranam* flumen; uti veroſimile faciunt loca **Battenberg**/ & **Battenhauſen** tanta nominis celebritate, ut adhuc Strabonis ævo, promiſcuum fuerit univerſæ Genti vocabulum CATTORUM & BATTORUM. Qui domeſticâ ſeditione pulſi, uti narrat Tacitus ([y]) extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulque Inſulam inter Vada ſitam occupavêre. Et haut dubiè ab agris illis, ger-

(t) G. A. Lib. III. c. V. & XV.
(u) Lib. VII. Germ.
(x) de Germ. c. 34.
(y) IV. Hiſt. c. 15; de Ger. c. 29.

germanicâ voce Awen dictis, innovatum BATTAVORUM nomen invenêre. Hoc nobiliſſimæ Gentis etymon, hæc vera origo. Quicquid hinc diſcrepat, gerræ ſunt germanæ. De tempore migrationis nulli quicquam proditum. Cæſar ([z]) ſanè de BATAVIS inter *Walim* & *Rhenum* non aliter loquitur, quam de *Lingonibus* ad *Moſa*, aut de *Lepontiis* ad *Rheni* fontes; nihilque aſpergit, unde nuperi adventus ſuſpicio. Ut jam tum antiquiſſimi hiſce in ſedibus habiti videantur; fortè etiam anteriores ipſô Germanorum nomine haut ita diu ante Cæſaris ([a]) tempora in Galliis nato.

(z) Bel. Gal. IV.

(a) II. Bell. Gall. Junct. Tacit. de Germ. c. 29.

Terra autem BATAVORUM eſt Continens vel Inſula. Continentem vocat Tacitus ([b]), *extrema Gallica oræ*, aut *non multum ex ripa*, *Vahalis* ſiniſtram intelligens; In qua Opidum BATAVORUM, quod Civilis, ad *Vetera* prælio victus, incendit, antequam in Inſulam concederet ([c]). Sed etiam Plinius ([d]) præter illos BATAVOS, quos modo in Inſula poſuerat, recenſet & alios *Gugernis* contiguos. Igitur hâc Gallicâ orâ comprehenſum intelligi debet, quicquid à *Gugernis* ad *Moſæ Vahaliſque* Confluentes ſeu *Geerfliet*, inter utrumque amnem ſternitur; ſcilicet, Pars exigua agri *Clivenſis*, Ditio *Noviomagenſis*, *Moſovahalia*, *Bommela*, *Altena*, *Doretrechtana*, *Stria*, *Puttenia*, Præfecturæ. Inſulam primus Cæſar ([e]) verbis pauciſſimis omnium accuratiſſimè deſcripſit; *Pars quædam Rheni*, inquit, *quæ appellatur Walis inſulam efficit BATAVORUM, neque longius ab eo M. P. LXXX. in Oceanum tranſit.* Et Servius ([f]) pænè iiſdem; *Rhenus ubi jam Vahal dicitur, INSULAM facit BATAVORUM.* Vahalis itaque à Rheno divergens Inſulæ facit initium, & poſt M. P. LXXX. Moſa vel Oceano receptus, finem quoque: Alter ergò Divergii Alveus, qui nomen ſervat, claudit adverſum latus; Frontem *Oceanus*. Tacitus ([g]) hæc eadem ita expreſſit; *Rhenus apud principium agri BATAVI velut in duos amnes dividitur, ſervatque nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur: Ad Gallicam ripam latior & & placidior affluens, verſô cognomentô* Vahalem *accolæ dicunt: Mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, ejuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur. Inſulam itaque mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum & latera circumluit.* Quam ideò *Inſulam Rheni amnis* ([h]) item *Inſulam inter Vada ſitam* appellat: *quia ſuperfuſus amnis, paluſtrem humilemque in faciem ſtagni ſæpius oppleat.* Plinius ([i]) inter Inſulas, quæ ſunt in *Rheno* ipſo hanc BATAVORUM facit nobiliſſimam, ſed *Cannunefatibus* communem. Dio Caſſius ([k]) *BATAVIAM* vocat *Inſulam in Rheno.* Neuter omnes circumquaque terminos deſignat. Solus Cæſar Inſulæ longitudinem indicavit M. P. LXXX. tot ſcilicet numerantur inter Munimentum Scencanum, ad quod *Vahalis* à *Rheno* exit, Et *Brebelium* opidum vulgo *Den Briel*, ubi *Moſâ* receptus, immenſo ore in *Oceanum* tranſit. Latitudinem antiquorum nemo definivit, ne quidem ſecundùm littus, nam paſſim & ubique nimis fuiſſet ambitioſum in cono: Ad *Oceanum* autem ubi maxima, haut ultrà

M. P.

(b) d. c. 12. & d. c. 29.

(c) Tac. V. Hiſt. c. 19.

(d) Hiſt. Nat. IV. c. 15. 17.

(e) Bell. Gall. IV.

(f) Ad Æneid. Lib. IIX. fin.

(g) II. An. 6. IV. Hiſt. 12.

(h) de Germ. c. 29. & d. c. 12. junct. V. Hiſt. c. 23.

(i) Nat. Hiſt. IV. c. 15.

(k) Lib. LV.

M. P. XXII. extenditur à *Cattorum* vico ad prominentiſſimum Occidentis angulum. Continentis eadem pænè longitudo eſt: Maxima verò latitudo VI. M. P. haut excedit; ſed ut plurimùm longè minor. His denique finibus exiguam illam quam vocat Tacitus ([l]), Galliarum portionem uni Tabulæ P. PATAVIÆ nomine notam, coluêre BATAVI, omnium Gentium Germanicarum virtute præcipui, honore Societatis cum P. R. inſignes, immò Fraternitatis quoque, uti eſt in duobus antiquis marmoribus ([m]), omnibuſque oneribus exempti, & tantùm in uſum præliorum ſepoſiti.

(l) IV Hiſt. 38. d. Ger. c. 29.

(m) Ap. C. Aurel. Bat. Lib. I. c. 16. Pigh. in Herc. Prod. pag. 46. & 47.

Quod limites protulerint interius, aut ultra *Rhenum Moſamve*, bono aliquo Authore affirmari nequit. Cattos quidem conſediſſe aut latuiſſe æſtuariis illis graminoſis, quibus *Moſa* & *Scaldis* ſæpius ſuperfunduntur; ſed alio quam BATTORUM Pago ortos, licet eadem transrhenana civitate, ſuo loco oſtendetur. BATAVI autem dictis finibus ſe continuêre quamdiu vis Rom. Imperii iis in partibus valuit: nam hâc extinctâ protinus *Friſiorum* nomen adeò invaluit; ut, non modo BATAVI, ſed omnes circum Gentes in illud conceſſerint. De quo ad *Friſiam* ſeu *Freſiam* pluribus dicendum.

III. BATAVODURUM.

QUà patuit Celtica Lingua, locis pæne innumeris impoſitum reperitur quoddam vernaculum nomen, ex quo Romani promiſcue *Durum* fecerunt, nullâ originis diſtinctione; quæ tamen Celtis quadrifariam obſervata: Aliis enim locis nomina indiderunt à **Tohr** / **Tühr** / **Deure** / id eſt Porta vel Oſtio. Aliis à **Dür** vel **Dor** / id eſt Arido. Aliis à **Thurn** vel **Toorn** id eſt Turre. Aliis denique à **Dur** ſeu **Dour** id eſt Aquâ, idque maximè apud Britannos Inſulares & Armoricos, quibus olim hoc intellectu venit & alicubi adhuc perſeverat teſte Buchanano ([n]).

(n) Rer. Scot. Lib. II.

Primi autem Generis ſunt *Vitodurum* in Helvetiis & *Epamanduodurum* in Sequanis, vernaculè **Wintertuhr** / & *Mandeure*.

Secundi *Duromagus* in *Ubiis* Agrippinenſibus, & *Durocaſſium* in *Carnutibus*, vernaculè **Dormagen** / & *Dorgas* ſeu *Dreugas* & contractius *Dreux*: **Dreug** enim & **Dor** ſynonyma habentur.

Tertii *Salodurum*, vernaculè **Solothurn** / id eſt Salica Turris, ad quam locus Comitii.

Quarti denique Britannica ferè omnia à *Duro* formata, fortè & Gallica quædam, & Germanica, & Pannonica, & Hiſpanica & alia.

Ad Primum ſignificatum pertinere putem *Dura* omnia, domi quidem ſine appoſitô ita appellata; ſed ad quæ Romani cujuſque Gentis vocabulum, diſtinctionis ergò, adjecerunt. Ita tamen ut vox **Tühren** / **Duuren** / **Deuren** à propria & ſimplice ſignificatione, in figuratam & ſublimiorem transfuſa intelligatur; more plurimis Nationibus communi.

Hebræi aliique Orientis Populi Portarum appellationem ad loca Judicii tranſtulêre, utpote quæ omnibus patere debeant : immò ad ipſas Regum ſedes ; uti colligimus ex Xenophonte (p). Et hodiè à Turcis ſcimus.

(p) de Exp. Cyri Lib. I.

Græci Pylarum nomen publicis Conventibus tribuerunt. Romani Oſtia, quæ foris patebant, publicitus quoſvis admiſſura, dixêre *Fores*. Et *Fora* ubi jus dicebatur. Haut aliter *Germanos Celtaſque* veteres ſuum **Tühren / Duuren / Deuren /** ſumpſiſſe credendum eſt. Propriè ſcilicet pro *Foribus*, &, per tranſlationem, pro *Foris Judiciariis*. Igitur BATAVODURUM nihil aliud eſt, quam *Forum Judiciarium Batavorum*, vernaculè **Duurſtede /** quod ſi vertas, *Judicii Locus* erit. *Marcodurum* [Incolis **Duuren**] quam *Marcorum*. [Civitatis Ubiorum pars eſt] *Bojodurum* quam *Bojorum*, & ſic de reliquis.

(q) V. Hiſt. 20.

Tacitus (q) BATAVODURUM ponit in Inſula *Batavorum* ad amnem *Rhenum*, parte ſuperiore, quam ſolam illo tempore tenebant Romanæ Legiones duæ, Decima & Secunda, cum Socialium Cohortium Alarumque manu haut exigua. Vicus tum erat modicus ad quem Pons inchoatus à Secundanis defendebatur. Quot verò Millibus Paſſuum, ab *Arenaco*, *Grinnibus*, vel *Vadâ*, ejuſdem ripæ vicis proximis fuerit disjunctus, non addit : immò inter vicos ipſos ne quidem ſitûs ordinem ; ſed Præſidiariorum dignitatem tantùm obſervat. Ita ut Caſtra Legionum [*Arenacum* & BATAVODURUM] licet utrinque extrema, locô primô ; Sociorum, quæ media, ultimô recenſeat.

(r) Tabul. Ant. Bat.

Cæterum cùm H. Junius & poſt illum P. Scriverius (r) gravis imprimis Author, ex veteribus numulis aureis fidem faciant BATAVODURUM hoc, ab ipſis Romanis *Doreſtati* quoque nomen tuliſſe : Idemque in hoc uſque tempus, nunquam mutatâ ſede perennet, poſituram invenit omnium certiſſimam M. P. XIII. à *Trajecto*, & XXII. à *Noviomago*. Hodiè ibi Arx eſt cum Opido. Hoc *Wyk*, illa *Duurſtede*, & ſimul *Wyk te Duurſtede* appellata, quaſi dicatur cum Tacito VICUS BATAVODURUM. Qui aliquando, invaleſcentibus ſacris Chriſtianis, in Urbem ampliſſimam excrevit quidem, ſed nondum à Tacito, Urbis vel Opidi appellatione, utpote nullis totâ Inſulâ, tum exiſtentibus, inſigniri potuit.

IV. BATAVORUM OPIDUM.

(ſ) V. Hiſt. 19.

USque ad Principatum Veſpaſiani, unicum tantùm Opidum in *Batavis* memoratur. Quod Tacitus (ſ) nulla proprii nominis adjectione OPIDUM. BATAVORUM dixiſſe vulgò putatur. Significanter ſatis, quia Gentis caput & Virorum Principum Cl. Civilis & Cl. Labeonis ſedes : Quos inter opidanum certamen (cujus etiam antea (t) mentionem fecit) niſi hîc eſſe nequiit. Idipſum autem Civilis Anno Æræ Chr. vûlg. LXX. *ad Vetera* à Cereale fuſus, & in Inſulam retrocedere coactus, cùm armis tueri non poterat, incendit, antequam

(t) IV. Hiſt. 18.

Vabalem

Vabalem trajiceret. Igitur extra Inſulam in Gallica ora extitiſſe certum eſt; immò etiam hodiee xſtare eodem nomine, **Batenburg** ſcilicet, affirmat Cluverius (u), cujus in hiſce magna authoritas. Bello autem finitô ſtatim fuiſſe inſtauratum, ibidemque reſtitutum Judicium, quod *Batavi* cis *Vabalem*, hoc loco primario, haut dubiè ab initio ſibi conſtituerant, ex Ptolemæi Tabulâ Galliæ (x) probabile fit: Ibi enim ad Moſam *Batavoburgii* ſitu habetur BATAVODURUM. Non per ingentem errorem, uti putat Cluverius in carpendo Ptolemæo nimius, ſed per optimam rationem: Quia per τὸ OPIDUM BATAVORUM, extantibus jam plurimis, vetuſtiſſimum à recentibus amplius diſcerni nequibat, nomen aliud appellativum ſibi ponendum duxit, quô etiam Vetus Opidum nemini erat incognitum & tum inter alia eminebat, **Duren** ſcilicet, id eſt, *Forum Judiciarium*, hîc ab antiquo inſtitutum. Horum autem duo in *Batavis* fuiſſe hinc diſcimus. Alterum ad *Rhenum* intra Inſulam in Vico. Alterum ad *Moſam* extra Inſulam in antiquiſſimo Opido. Ptolemæus quidem hiſtoricâ enarratione dicere debuiſſet BATAVODURUM AD MOSAM; ſed quia totus in Tabulis Geographicis deſcribendis, BATAVODURUM *Moſæ* quaſi appinxiſſe ſufficit.

(u) II. G. A. c. 19.
(x) Geogr. II. c. 9. Europ. Tab. III.

Cæterùm, ſi, Lipſii (y) conjecturæ indulgendo, non OPIDUM BATAVORUM; ſed OPIDUM BATAVODURUM legamus; Ipſe Tacitus, inter duo hæc Fora vel Curias, diſtinctionem feciſſe dicendus eſt, alterum Opidum, alterum Vicum nominando.

(y) in Not. ad d. V. Hiſt. c. 19.

V. BRUCTERI.

BRUCTERI hîc quoque dicendi; quia ripam *Rheni Batavis* adverſam, à principio inſulæ ad eductionem *Foſſæ Druſianæ*, quondam tenuerint: Et *Friſiorum* fines, quà *Rheno*, *Amiſia* aut *Oceano* non prætexuntur, circumſederint totos, ſaltem cum clientibus ſuis. Atque tandem, inter *Francos*, magnam partem, emigrantes, proximos hoſce *Rheno* agros cum *Friſiis* communicarint. Hodieque portio ſint Auguſtæ Reipl. in quam *Batavi Friſiique* æterno fœdere coiverunt.

BRUCTERORUM olim ampliſſima Civitas fuit, omne illud terrarum complexa, quod à *Luppiæ* & *Amiſiæ* fontibus, in *Rhenum Foſſamque Druſianam* & *Friſicas paludes* extenditur. Diviſi in Majores & Minores, quorum hi, cum *Chamavis* & *Amſibariis*, ſociis aut clientibus, *Friſios*, *Batavos* & *Rhenum* attigerunt. Illi cum *Marſis* aliiſque interiora tenuerunt. Minores enim juxta *Rhenum* fuerunt (z) & *Tencteros*; illos inquam extorres, (a) quos *Sigambri*, ingratiis Cæſaris, (b) ſedibus ſuis quondam recepêre & reliquêre, ipſi in Transrhenanam cuſtodiam traducti (c). Sub ſe autem habuerunt *Chamavos* (d) addo *Amiſivarios*, quibus *Friſii* à fronte. (e)

(z) Ptol. II. 11.
(a) Tac. Ger. 33.
(b) IV. Bel. Gal.
(c) Suet. in Aug.
(d) Ptol. d. l.
(e) Tac. d. l. c. 34.

Majores verò juxta *Luppiæ* dextram, ad *Teutoburgienſem* uſque *ſaltum*

ſparſi

(f) Id. I. An. 60. & V. Hiſt. 23. (f) ſparſi fuêre. Sparſos dico, quia permiſti minoribus Gentibus haud perinde memoratis. Nomen, ut plerique Populi, ab ingenio ſoli aſſumſiſſe videntur; à *Paludibus* ſcilicet, quibus illorum obſita tellus, vernaculè **Broeken**, & apud ſuperiores **Bruchen** dictis: Unde uſtiles illæ glebæ effodiuntur & formantur, quæ exſiccatæ optimum foco alimentum præbent, ipſis lignorum torribus æquandum vel anteferendum. Atque huc reſpexiſſe putem Tacitum germanicè intelligentem, cùm dixerit, BRUCTEROS *ſua urenteis*, quodam proprietatis epitheto, id eſt, **Broekters hun eygen moer brandende**, uti eſt in notiſſimo vulgi dicterio; minime verò, quòd propriam regionem incendio vaſtarint. Quid enim uſſiſſent? certè nihil eorum, quæ auferri poterant & paludibus ſaltibuſve abſcondi. Igitur Opida, ne ab hoſte inſederentur? ſed nulla erant. Villas ergò & habitationes? ſed hunc laborem hoſtibus, qui eâ cauſſâ adventabant, præripere ſtultum. Segetem denique, ne hoſtilem commeatum augeret? ſed primô vere erat in herba, nondum flammâ populabilis.

Primus Romanorum, qui BRUCTEROS adiit, fuit Druſus Claudius, cui à Provincia *Germanici* nomen Senatus dedit. Hic illos
(g) Strab. VII. navali prælio in *Amiſiâ* vicit (g). *Amſibarii* itaque & *Chamavi*, quorum tantùm in finibus *Amiſia* dulcis claſſium capax eſt, BRUCTERORUM nomine tum cenſiti fuêre.

Tiberius Druſi frater, iterùm intratâ Germaniâ, eoſdem ſubegit
(h) Vell. II. c. 105. (h) quoque. Sed jugi impatientes, nullam excutiendi occaſionem prætermiſêre. Cum Arminio & *Cheruſcis* Romanas Legiones exciderunt & undeviceſimæ Aquilam inter ſpolia reportarunt. Cum Cl. Civile & *Batavis* non ſemel Romanos exercitus fuderunt, Legionum hiberna ceperunt, Legatum primò, mox claſſem & ipſam prætoriam triremem captivam abduxerunt, donum Velledæ ſuæ nationis Virgini, quæ latè pro Dea colebatur. Prioris quidem defectionis pœnam ſeveriſſimè exegit Cæſ. Germanicus Druſi F. obvios cædens, omnia vaſtans, receptâ etiam Aquilâ. Poſterioris verò nullus unquam Vindex prodiit. Niſi quod Veſtricius Spurinna, oſtentatô tantum bellô, ipſos coegerit exulem Regem recipere, (*Plin. Lib. II. Ep.* 11.) ob hoc pulcherimum victoriæ genus triumphalem ſtatuam à Trajano meritus. Hinc aucta Gentis ſuperbia, ſimulque, apud vicinas Gentes, ſuperbiæ odium. Eo tandem erumpens, ut factâ conjuratione ſuper LX. millia BRUCTERORUM, ante oculos Romani militis, quaſi ſpectaculo & oblectationi, armis teliſque cognatorum ceciderint, & univerſa Gens, ſaltem Minorum, tantùm non penitus, exciſa fuerit. Hac tanta clade, cùm plurimum agri vacabat, mox aliæ Gentes prædam ſectantes immigrarunt. *Chamavi* in primis, & *Amſibarii* à *Cattis* & *Cheruſcis* redemti, ceu cæſorum quondam clientelares; tum etiam *Tubantes*, fortè & interiorum plures, vertendo ſolo adeò aſſueti, ut tandem omnes, qui ſunt ad utramque Viſurgis ripam, Populi, ab *Albi* in *Friſios* & *Rhenum*, verſô cogno-
(i) II. An. 6. mentô (uti Tacitus (i) intelligenter admodum de ſiniſtro *Rheni* alveo loqui-

loquitur) WALEN dicti fuerint & hodiè appellentur. Saltem cis *Viſurgim*; *Weſtvalos* deſigno, quibus noſtrâ ætate, manet duratque idem migrandi, ſolumque vertendi amor. Et cùm populariter id nequeant, catervatim excedunt, non modo juvenes, ſed etiam (quod aliis nationibus inauditum) innuptæ puellæ.

Accidiſſe autem videtur prædicta mactatio, Tacito (k) deſcripta; ad *Rhenum Foſſamque Druſianam* potiſſimum: Quia ante oculos Romanorum: Et quòd *Chamavi*, qui immigrarunt, ripæ illi proximi collocentur, tum ab Auſonio in Moſella; (k) Germ. c. 13.

Ne vereare minor, pulcherrime Rene, videri;
Invidiæ nil hoſpes habet, potiére perenni
Nomine, tu fratrem, famæ ſecurus, adopta
Dives aquis, dives lymphis, largitor utrique
Alveus extendet geminis divortia ripis,
Communeſque vias diverſa per oſtia fundet,
Accedent vires, quas Francia, quaſque CAMAVES;
Germanique tremant; tunc verus habebere limes.

Tum à Tabulæ Peutingeranæ Concinnatore, aliiſque:

Cæterùm ne ſic quidem interiit totum BRUCTERORUM nomen. Manſère propagines adeò fecundæ, ut Nationibus, quæ *Oceanum* accolunt intra *Rhenum* & *Albim*, haut diu poſt Maximini in transrhenanos animadverſionem, populariter in Superiora migrantibus; ſuffecerint primo agmini: Et ſupra reliquas; uno *Francorum* nomine contentas, ſibi ſumſerint ſedes, diu veteri & peculiari nomine retentô. Hoc enim ſitu in Tabula P. reperiuntur BURCTURI. Et apud Claudianum (a) (a) IV. Honor. Conſ.

——————— *Accola ſilvæ*
BRUCTERUS *Hercyniæ*.

dicitur. Igitur in Palatinatus & Franconiæ eremum, quæ vulgò Oden-wald & Spes-hart / tum protulère fineis: Nam Cæſari (b) *Hercynia*; infra *Nemetas* & quicquid è regione trans *Rhenum* eſt, non multùm deſcendit. Poſtquam verò, Imperatores Theodoſium M. ſecuti, pace cum Francis initâ, præſidia Romana ad utramque Rheni ripam collocata, iterùm & poſtremùm abduci juſſerunt; Maxima pars agri, qui Veterum BRUCTERORUM Minorum fuit, *Chamavis* illic paullatim exoleſcentibus, ceſſiſſe videtur *Friſiis*; Et quidem his, qui ultra Paludes ad ſeptentriones ſunt; novæque ditioni, à ſitû *Auſtralium Paludum* nomen tribuere debuerunt, Zuid-veen ſcilicet & preſſius Zutfen. Quod etiam hodiè toti manet, quem vocant, Comitatui. Sed nec in Tranſiſalana ſtrictè dicta, Friſici nominis veſtigia deſunt in Frieswyk / Frieſenberg / Frieſen-veen / &c. (b) VI. Bell. Gall.

C 3 VI BUR-

VI. BURCHANA, BYRCHANIS.

INſulæ ſunt XXIII. in littore Maris Germanici, à *Rheno* ad *Cimbricum Promontorium*, tam noſtra, quam Plinii ætate. Qui (c) illarum nobiliſſimam facit BURCHANAM (Straboni (d) BYRCHANEM) à Druſo, vi expugnatam. Romani Milites *Fabariam* à frugis ſimilitudine ſponte provenientis dixêre. Et hæc omnia ſunt, quæ de illa ex Veteribus ſcimus.

(c) H. N. IV. c. 13.
(d) Geog. Lib. VII.

Epitheton *Nobiliſſima*, quod cum *Batavorum Inſulâ* huic commune facit Plinius, (e) maximum ſimul facit indicium, BURCHANAM tantum inter Inſulas littorales XXIII. extuliſſe caput, quantum *Batavorum* inter alias, ſive Inſulas, ſive peninſulas, quæ in *Rheno* ipſo ſunt. Quæ vero, inter omnes, tantæ nobilitatis & potentiæ fuerit, ut Druſus vim Romani Exercitus contra illam exponere neceſſum habuerit, haut facilè dijudicatu eſt, ex præſenti ſingularum conditione; Quæ adeò tenuis, ut vix ulla, unius Centuriæ vim experiri potis ſit. Pluribus tamen rationibus adducor; ut in Cluverii (f) noſtri ſententiam pedibus eam. Qui **Burghem** ſeu **Borkum**/ Inſulam inter *Amiſiæ* Oſtia, BYRCHANAM Strabonis & Plinii eſſe ſtatuit: Ita forte dictam à voce Germanicâ **Bergen**/ inter alia, denotante; *res naufragas è mari recuperare*; Quia, ſitu inter duo Oſtia huic operæ maxime opportuna. Sed ſoli vocum ſimilitudini haut acquieſcendum arbitror; Neque teſtimonium famoſi ex noſtratibus ICti, aſſerentis BORCUMI ſua ætate fuiſſe Ædem publicam, cui nomen **Boonhuys**/ id eſt, *Ædis Fabaria*: Quâ etiam appellatione ipſâ Inſulâ Romanis vertit. Licet hæc inſuper non habeam, utut de ſpontaneo leguminis proventu, hodiè ne minimum quidem conſtet, plus tamen ſoliditatis animadverto in Ptolemæi (g) deſcriptione Oſtiorum *Amiſiæ*, Occidentalis ſeu *Vidri*, & alterius Orientalis, quod ſua ætate, ab altero disjunctum fuit, nullo intermedio M. P. XXIV. Unde perſpicuum, BURCHANAM tum verè *Nobiliſſimam* fuiſſe Inſulam & littoralium omnium longe maximam, ambitu ſuo *Juſtam*, *Bantam*, *Buſam*, hodiè vadis aut novo alveo diſtinctas, complexam: Atque adeo multitudinis Incolarum ſatis capacem; quæ immenſum aucta haut dubiè fuit, vicinarum Continentium copiis, ſubito Druſi terrore profugis, quaſi ad Aſylum vaſtos inter fluctus. Mirum itaque videri non poteſt, expugnationi inſulæ tam copioſæ vim Exercitus Romani fuiſſe adhibendam: Ubi reliquæ legendo littus in deditionem acceptæ. Utrum verò BURCHANA *Friſiorum* an *Chaucorum* fuerit, non ſatis liquet. *Borcumum* certè jam *Friſiorum* eſt; ſed illorum, qui hodiè Chaucidis portionem quoque tenent, *Oſtfriſiæ* nomine vulgò notam.

(e) H. N. IV. c. 15.
(f) G. A. III. c. 16.
(g) Geog. Lib. II. c. XI.

VII. BUR-

VII. Burginatium.

Itinerarium Antonini & Tabula Auguſtana, BURGINATIUM nomine & ſitu planè eodem memorant; nempe M. P. VI. ab *Arenatio*, & V. à *Colonia Trajana*. Unde ſatis conſtat, fuiſſe illud in *Batavorum* limite ſupremo. Cluverius (h) extra Inſulam collocat; Duo ſimul ſupponens, I°. Locum, eſſe eundem, qui Ammiano Marcellino (i) *Quadriburgium* dicitur, II°. Deinde Juliani Cæſ. militem, hoc recepto & inſtaurato, in Inſulam non tranſiiſſe. Prior ſanè conjectura valdè probabilis eſt. Quia in Itinerario, proximè infra *Coloniam Trajanam*, & longiuſculè ſupra *Caſtra Herculis*; ponitur BURGINATIUM. Atque apud Marcellinum inter utraque Caſtra, *Leg. Tricèſimæ* & *Herculis*, *Quadriburgium*: Maximè autem quia utrumque vocabulum, ſuæ integritati reſtitutum, ejuſdem ſit ſignificatûs & poteſtatis. BURGINATIUM enim ſeu *Burginacum* ſignificat Burgum ad aquas, nobis **Waterburg**. Ex quo, cùm *Watriburgium*, vel, ore magis Romano, *Vadriburgium* fieri debuiſſet, Ammianus ipſe, vel, quod verius putem, ſciolus aliquis Exceptor QUADRIBURGIUM fecit: Quaſi vocabulum non domi apud *Batavos* natum; ſed peregrè ex Latio & Græcia accerſitum, turpiterque conſutum ex Latiali *Quatuor* & Græco *Pyrgo*, id eſt, à IV. Turribus, quibus, ceu totidem propugnaculis (ſi Dîs placet) hoc loco Arcem munitam fuiſſe ſomniant magis, quàm divinant. Ignari **Burg** & **Borg** putum eſſe Germanicum, à verbo **Bergen** / ejuſdemque participio **geburgen** & **geborgen** / ſic dictum, quòd ſit receptaculum, cuſtodia, tutamen: In quem finem, initio domorum facta congregatio, quibus deinde circumdatæ ſepes, denique munitiones firmioris operis; ſemper manente BURGI, id eſt, *Receptaculi* appellatione. Si poſteriori conjecturæ parem vel majorem ſimilitudinem veri conciliare noviſſet Cluverius, res omnis foret ſalva: Sed Ammianus, non modo Scriptor æqualis, aſt teſtis oculatus, diſertè nobis exponit; Julianum Cæſ. poſtquam *Salios* & *Chamavos Moſam* ſuperare auſos fuderit, aut deditione receperit, & ad ſua tranſire permiſerit illaeſos & ſalvos, contexto navali ponte *Rhenum* trajeciſſe: Et illa quidem æſtate primi Conſulatûs ſui, non niſi vetera munimenta tria ad *Moſam* inſtauraſſe (k). Conſulatû ſecundo verò, VII. recepiſſe Civitates [ſic inclinatâ Latinitate appellat Urbes & Opida, in quibus fuerant Romanorum horrea præſidiaria à Barbaris direpta (l) aut exciſa poſt Legiones, Conſtantini M. indulgentiâ, de qua Zoſimus, *Rheno* ſubmotas] earundemque mœnia, nullo tum interturbante, reparaſſe (m) iterumque *Rhenum* tranſiiſſe, & quidem furtim navibus, cum palam ponte, à Barbaris, prohiberetur (n). In quos ſeveriſſimè animadvertit, paucis in gratiam receptis. Adeò ut omnes Germanos illo ipſo anno ultra *Rhenum* ſubmoverit & Imperium finibus ſuis reſtitueritt (o). Nam tertio Conſulatu, pacatis jam Galliis, apud *Pariſios* hiemem

(h) G. A. II. c. 36.

(i) Lib. XVIII. c. 2.

(k) Marc. Lib. XVII. c. 8. 9. 10.

(l) Id. XX. c. 5.

(m) Id. XIIX. c. 2.

(n) d. l. c. 2.

(o) Eutrop. L. X.

hiemem agens Cæſar, Britannicos motus per Legatum compoſuit, & mox *Alemannicos* in *Rhetiis* per ſe ipſum: Indeque in *Pannonias* caſtris promotis *Rhenum* nunquam [p] reviſit: Igitur anno proximò à *Saliis Chamaviſque* repulſis, & eo ipſo, quo Germani reliqui ultra *Rhenum* ſubmoti, vetuſque Imperii terminus, qui *Rheni* alveus, non lævus ſed medius, reſtitutus; recepta & continuò reparata fuêre, contra *Francorum* trajectiones ferè perpetuas, *Bingio*, *Antunnacum*, *Bonna*, *Niveſio*, *Triceſima*, *QUADRIBURGIUM*, *Caſtra Herculis*; cuncta munimenta ad *Rhenum* Imperii limitem. Unde conſequens eſt QUADRIBURGIUM ſeu BURGINATIUM non extra Inſulam ad *Vahalis* ſiniſtram; ſed intra ad dextram ſimulque ad *Rheni* lævam, in agri *Batavi* principio fuiſſe; ubi hodiè peninſula 's Graven-wart & munimentum cui *Scenc* Nobiliſſimus Tribunus ſuperiori ſeculo nomen fecit. Tutandi ſiquidem erant & *Batavi*, quibus ut ſociis Julianus [q] denuò utebatur, maximè contra *Chamavos* aliosque *Salios* ulterioris ripæ accolas. Cui rei aptior locus nuſquam reperiri aut voto expeti potuit, tum ob muniendi, tum ob ſubvehendi commeatûs commoditatem, per quævis ſcilicet *Rheni Moſæque* oſtia. Licet diffiteri nequeam; Veterem Arcem Bieſenburg / quam lævus *Vahalis* pæne voravit, poſituræ, Itinerarii & Tabulæ, æquè convenire. Qui autem longius à *Rheno*, vel etiam ſupra *Triceſima Caſtra*, ſitum conjiciunt, in quibus Hadr. Valeſius, nimis aberrant: ſic ſatis confutati.

(p) Amm. Lib. XXI. 5. & XXI. c. 1-11.

(q) Idem. XX. 1. 5.

C.

I. Caninefates.

Hoc nomine Vellejus Pat. (a) & C. Tacitus (b) appellant Gentem ex *Cattis* trans *Rhenum* ortam, quæ, partem Inſulæ *Batavorum* colens, exigua Galliarum portio Imperiique pars & ipſa fuit; Poſt *Batavos* conſanguineos à Populo R. in ſocietatem receptos, & *Friſios* vicinos à Druſo tributum pendere juſſos, ſubacta ab Alteró Auguſti Privigno Tiberio. Igitur in eadem nobiliſſima Inſula, ut loquitur Plinius (c), duæ fuerunt Civitates, una *Batavorum*, altera CANINEFATUM. Quorum illi honore ſocietatis Romanæ inſignes, immune obſequium præſtabant, ut amici Populi Romani. Hi imperia tolerabant, & tributa, ut vi armorum ſubacti. Neque conſtat CANINEFATES *Batavis* unquam dignatione æquatos fuiſſe: uti de ſolis *Mattiacis*, alia *Cattorum* propagine, expreſſim aſſeritur (d). Licet origine, linguâ & virtute illis pares celebrentur (e), tantùm numero ſuperati: Et, quantum vel hinc conjicere licet, ex alio patriæ Civitatis Pago trans *Rhenum*, quàm qui *Batavorum* vel *Mattiacorum* fuit. Quod vero ideò exierint ſoli, ante vel poſt illos, qui ex *Battorum* Pago, eandem in Inſulam migrarunt, neutiquam affirmaverim. Hæc & talia in dubiis reponens. Quanquam in comperto ſit CANINEFATES ab ultima antiquitate, juxta cum *Batavis*, Gallicum coluiſſe ſolum, idque ſeorſum, & intra *Batavorum Inſulam* tantum; uti, contra Junium (f) & aſſeclas, qui *Kinhemum* in ſolo Germanico inter *Rhenum* & *Flevum* CANINEFATIBUS vaniſſimè adſerunt, præclarè demonſtravit Clariſſimus Cluverius (g). Et infra novo etiam fulcietur argumento, quo *Friſiorum Marſatiis* vindicabitur *Kinhemenſis* ager. Quam verò & quantam Inſulæ partem coluerint CANINEFATES haut perinde expeditum videtur. Inferiora habitaſſe ſatis quidem intelligitur ex Victoriâ, quam à Romanis, in ſuperiora ſe recipere coactis, reportarunt [h]. Accoluiſſe autem *Oceanum* eadem expeditio probat: Quia mari cum *Friſiis* conjunctionem fecerunt, quod in flumine per Romanorum caſtella non licebat: Atque ita ab *Oceano*, ex improviſo in *Rhenum* irrupêre uniti; Littorales ſcilicet ambo populi, quibus navium copia ubique in littore præſto. Dolus quinetiam Cl. Civilis nullâ aliâ viâ graſſatus apparet, quàm ut Cohortes pridem fugatas, ad *Oceanum*, in CANINEFATUM conjuratorum ſuorum terram, reduceret, & à ſignis vexilliſque in ſuperiore parte Inſulæ congregatis ſepararet, hoc modo facilius opprimendas: Comitem ſe præbens & Obſidem, ut videri volebat; CANINEFATES, quibus unicam ſuam Cohortem Batavam parem

(a) Lib. II.
(b) IV. An. 72. 73. XI. An. c. 18. IV. Hiſt. paſſim.
(c) Nat. Hiſt. IV. c. 15.
(d) Tac. G. c. 29.
(e) Id. IV. Hiſt. 15.
(f) Ant. Batav. c. 3. & 14.
(g) Ant. Germ. L. II. c. 33. 34.
(h) Tac. IV. Hiſt. d. c. 15. & 16.

D

rem aſſeverabat, nihil ultra auſuros, quo minus priſtina hiberna denuo intrarent & tuerentur Romani. Nec Claudius Labeo ([i]) ex *Nerviis* adventans CANINEFATES, *Friſioſque* finitimos *Marſatios*, furtim incurſare potuit, intactis *Batavis*, niſi ad *Moſæ Valiſque* commune Oſtium pertinuiſſet ager *Caninefas* circa littus in *Friſios* porrectus.

(i) Tac. IV. Ann. c. 56.

Enimverò licet hæc omnia, CANINEFATES *Oceani* accolas fuiſſe, ſatis evincant, Nobiliſſimus Cluverius tamen adſerere non dubitat; Agrum Caninefatem, paullo ſupra Lugdunum terminari: Quia ſcilicet Ptolemæus huic Opido, *Batavorum* cognomentum tribuerit, non CANINEFATUM: Sed conſideraſſe oportuit, poſt Taciti ævum, & anteà ſæpius, ſub *Batavorum* nomine, ſemper latuiſſe CANINEFATES: utpote quorum geſta nulli ſcriptorum deinceps ſeorſum memorata.

Igitur CANINEFATIBUS à fronte fuiſſe *Oceanum* non ultra ambigendum. Latera autem clauſiſſe *Rhenum* & *Iſlam* (*Leccâ* nondum cognitô) maximè veroſimile eſt. Tergum profert Cluverius ad *Batavodurum* vicum: ſed magis placet Bateſtein / id eſt, Batavorum lapis terminalis. A quo ad proximam *Iſlæ* ripam, ubi hodie *Montfordia* agri Trajectenſis Opidum, ducit terreum ſeptum, *Cattorum* ſeu CANINEFATUM ſtagno vel paludi objectum, vulgo De Kattenbrocker Kaje / quem equidem CANINEFATIBUS limitem à tergo pono. Cùm extra hos fines, *Cattorum* nomen totâ Inſulâ non reperiatur: Et quicquid illo inſignitum, ad CANINEFATES, non ad *Batavos*, pertinuiſſe exiſtimandum ſit. Sunt quidem Katten & Kattendrecht cis *Iſlam*, in ea Inſulæ parte, quæ *Batavorum* fuit peculium; ſed quibus nomen dediſſe videtur CANINEFATUM, ſeu *Cattorum* adverſam ripam tenentium, eò locorum trajectus.

C. Plinius ([k]) Gentem hanc, ab equeſtri & navali militia æquè celebrem, CANNUNEFATES vocavit. Vetus inſcriptio apud Volſinios, Lipſio, Grutero, Schotto, Urſino ([l]) aliiſque evulgata, habet CANNANEFATES. Alia Romæ, CANONEFATES. Rurſum alia CANANIVATES; uti ſunt apud Thomam Reineſium ([m]). Veſana denique Coſmographia, quæ Æthici nomen dehoneſtat, CANNIFATES. Atqui hæc tam varians ſcriptio ſubindicat, Germanicam vocem non perinde omnes fuiſſe aſſecutos, &, quantum ego aſſequor, neminem rectè prolocutum. Ut autem vera indagetur nominis origo, ſimulque vernacula ſcribendi & pronunciandi ratio, potiſſimum perquirendum arbitror; Quæ præcipua ſoli conditio & proprium quaſi ingenium, à quo omnes ferè circum Populi ſua invenerunt nomina; veluti, *Amſibarius* ab *Amiſiæ vicinia*; *Auchus* & *Batavus* ab Aw vel Groenlanden / *Bructerus* à Brocklanden. *Morinus* à Moerlanden. *Marſatius* à ſitu, Mare inter & Lacus. *Sigamber* à *Sige* fluvio & Bergen montibus, &c. Jam verò Tacitus ([n]) *Caninefatem* agrum inprimis, ita deſcribit; Quod ſit humilis & paluſtris, quem, flexu autumni & crebris pluvialibus imbribus, amnis ſuperfuſus

(k) d. L. IV. c. 15.
(l) ad Tacit. Ann. XI. c. 18.
(m) Synt. Inſcrip. p. 513. 514.
(n) Tac. IV. Hiſt. 12. & V. c. 23.

perfuſus ferè in faciem ſtagni opplere ſolet: adeò ut ſitus videatur inter Vada, quæ **Watten** vocamus. Huic autem eluvionis malo, ut quadantenus mederentur Incolæ, aggeſtu modicæ terræ, ejuſmodi ſtagna & Vada quaſi indagine obſepiebant, quam *KAIIE* appellabant, voce Germanicâ Romanis antiquitùs etiam notâ; qui inde ſuum *Cajare*, id eſt, coërcere, hauſiſſe putantur, uti quidem placet Excellentiſſimis Viris G. Camdeno [o] & J. Douſæ Patri [p]. Lipſio [q] quoque vocabulum agnoſcente; licet de Pontibus longis interpretetur, H. Junium ſecutus. Nec Corbulo Inferioris Germaniæ [r] Præſes miſſu Claudii, hanc *cajandi* artem ignoravit; cùm, depreſſâ foſſâ inter *Rhenum* & *Moſam*, tantum terræ egeſſit, ex qua agger conſtructus operoſioris molis, qui etiam *Oceani* reſtagnationes vetaret [ſ] id eſt, *cajaret*, more Incolis tralatitio. Ex hiſce autem duobus vocabulis *KAIIE* & *WATTEN*, CANINEFATUM nomen conflatum non admodum dubito; in quo omnia reliquêre Romani, evitatâ tantùm, ineptâ Latio ori, vocalium colliſione, per interpoſitas conſonantes. CAIEFATES enim; [Indigenis KAIE-WADERS] pronunciarunt CANINEFATES. Nequè deeſt priſci nominis veſtigium in **Waddinxveen** propè Goudam, & **Waddinxvliet** ad *foſſam Corbulonis*, à Vadis ſeu **Wadden** & **Watten** nomen quoque trahentia.

(o) Deſc. Com. Dubl.
(p) An. Hol. VI.
(q) Ad Tacit. I. An. c. 63.
(r) Tac. XI. An. 18.
(ſ) d. l. c. 20.

Mirari autem ſatis nequeo, qua fronte Doctiſſimus Hadr. Junius [t], ipſe propè Caninefas haberi ſatagens; hominum immetuentiſſimos ab animalium meticuloſiſſimo Cuniculo [**Konyn**] nomen quærere ſuſtinuerit aut verius titulum, quaſi à DEVICTA NATIONE CUNICULORUM, quos captos devorant. Egregiam verò laudem! meruiſſe appellari **Coninevatters** & **Coninevraten** ceu alteros Anthropophagos. Pudor eſt meminiſſe hujuſmodi ineptiarum.

(t) Bat. c. 3. & 14.

II. CARVO.

NUſquam apud Veteres hujus loci mentio occurrit, niſi in ſolis Itinerariis; Quæ veram ſimul poſituram edunt. In illo, quod Antonini nomine vulgo venit, XXII. M. P. infra *Herenatium* collocatur. In altero Auguſtano XIII. M. P. infra *Caſtra Herculis*; adeò ut ſecundum *Rheni* ripam, anfractus omnes circumeundo, *Caſtra Herculis* IX. M. P. ſint infra *Arenacum*, quia XIII. ſupra CARVONEM. Hoc autem modô legi ripas ab itinerariorum Authoribus, ſatis demonſtrat inferiorum locorum diſtantia. *Lugdunum* enim Uni dicitur disjunctum *Pretorio Agrippinæ* II. M. P. *Prætorium Matilone* III. M. P. *Matilo Albinianis* V. M. P. Unde quidem Alteri colliguntur X. M. P. Sed ſi circinus recta linea promoveatur *Lugduno Albiniana*, ultra VIII. non numerabuntur. Pari ratione ab *Arenaco* ad *Caſtra Herculis*; ſecundùm curvos amnis flexus, ſunt pænè IX. M. P. Hinc ad CARVONEM XIII. M. P. atque univerſim XXII. M. P. Si verò directâ viâ incedatur, vix XVII. M. P. erunt inter hæc duo extrema.

CARVO igitur fuit, ubi hodiè eſt **Kalwyk** / buſtum veteris arcis, ſic dictæ à Foſſa recente imperfectâ. Mutati nominis ratio, ſi quam dare oportet, hæc potiſſimùm arridet; Quòd, ubi principiô exiguum fuerit incile, vernaculè **Karve** / aquæ ex fluvio ducendæ, poſteà facta ſit Foſſa, *Batavis*, **ten Wyke** / cui, à novo necdum perfecto opere, nomen **Kalwyk** impoſitum.

Sed ſitu loci præclarè ſatis aſſertô, ita in nomine luſiſſe, nemò opinor vitio vertet. A vero autem nimis abludunt, qui CARVONEM noſtrum eſſe volunt Opidum **Grave**, extra *Batavorum* fines, in læva Moſæ ripa, ad XVIII. M. P. ab *Arenaco*. Nullam aliam ob cauſſam, quàm propter aliquam vocabuli ſimilitudinem; Quæ ipſis tanti eſt, ut omnem moveant lapidem, terminoſque omnes migrent, huic tam erroneæ opinioni firmandæ. Quod ſi, ad ſolum aurium tinnitum, explorandi locorum ſitus, mirum! quî, propter ſymphoniam majorem, non prætulerint **Karpen** / **Karvendonk** vel **Karvenheim** in vicino *Clivenſi* agro; aut **Kerverland** in ipſis Batavis infra *Wærdam*? Uti aliàs à Miræo & Heutero ([u]) factum; quibus ex *Caſtris Herculis* fit **Erkelens** vel **Arkel** / loca vix minori ſpatio à ſe invicem disjuncta, quàm quod obit totum hoc iter Batavicum in Itinerario & Tabula deſcriptum. Quicquid certè illa continetur deſcriptione, neutiquam extra *Batavorum* fines quærendum eſſe, omnes facilè perſpiciunt, quibus ſolida præ ſpecioſis placent. De Loci conditione tandem nihil habeo quod dicam: ſit igitur in medio, fueritne Caſtellum, Vicus, Horreum, Opidum, an Stabulum tantùm mutandæ vecturæ, vel diverſoria taberna.

(u) De Vet. Belg. Lib. II. c. 6.

III. CASPINGIUM.

HOc nomen Tabulæ Peutingerorum unicè debetur, unà cum loci ſitu. Quem tamen nonnihil turbat vitium Chalcographi, qui ex oppoſito itinere, ſecus *Rheni* ripam, hîc, inter *Manſionem* ad XII. lapidem à *Noviomago* & CASPINGIUM inſeruit *Grinnes*, procul dubio, in alterum latus iterùm transferendas, uti ex Tacito ([x]) apertum eſt. *Grinnibus* igitur cum ſuis VI. M. P. hinc ſummotis, inter dictam Manſionem *Ad Duodecimum* & CASPINGIUM intercedunt XVIII. M. P. qui rectâ viâ, mare verſus, pertingunt ad **Aſperen** Arculanæ quondam potentiæ Opidulum, priſci nominis ſic ſatis ſervans. Antiquiſſimus enim Gentium Germanicarum mos eſt, qui apud *Rhetos* & *Noricos* alioſque ſuperioris *Danubii* Accolas nondum deſuevit, aſpirationibus frequentiſſimè uti, atque ut plurimum geminatis & duris adeo, quæ Romano ori ineffabiles olim erant, & nobis etiam hodiè ſunt. Mirè autem vocabula aſpirationum augmento variarunt. Inſtar omnium ſint; *Lodovicus* & *Lotharius*, *Hlodovicus Hlotharius*, *Chlodovicus*, *Chlotharius*, *Clodovicus Clotharius*. Nec aliter actum fuiſſe exiſtimandum eſt cum voce **Aſperen** / quæ & **Haſperen** & **Chaſperen** & **Caſperen**: ex quorum ultimo Romani ſuum fecêre CASPINGIUM,

(x) V. Hiſt. 20.21.

GIUM, aſſumtâ terminatione Ingen, quæ per univerſam, quà patet, Germaniam uſu maximè communis. Sita autem eſt ASPERA ad lævam ripam Lingæ ſegnis amniculi, qui hinc V. M. P. ad *Goricomum* à *Vahale* recipitur. GASPERA Junio (y) quoque dicta. (y) Bat. c. 19.

IV. Castra Herculis.


Inter ſeptem Opida ad *Rhenum*, quorum mœnia disjecta veloci opere refecit Julianus Cæſar, quod ſitu infimum CASTRA HERCULIS vocat Am. Marcellinus (z). Nulli anteà memoratum. Ut planè ignoretur, quis ille Hercules, qui auctor primus ante excidium. (z) Lib. XVIII. c. 2. Ruſtici quidem lævam Rheni ripam colentes, quæ in *Foſſam Druſianam* proſpectat, ex Majorum traditione referunt Tiberium Druſi Fratrem apud ſe excitaſſe Caſtellum, cui nomen commune fecit cum Melitha ſeu Maltha Inſulâ. Situm autem eſſe intra Inſulam *Batavorum*, ex his, quæ diſputata ſunt ad *Burginatium*, ſatis liquere putem: Tot enim millia paſſuum diſtat *Noviomago* initium *Foſſæ Druſianæ*, quot reperiuntur inter idem Opidum & CASTRA HERCULIS, in Tabula P. Octo ſcilicet. Atque duobus hiſce munimentis illam *Rheni* partem amplexis, cui ex adverſo imminent Barbari nuper infeſti, *Chamavi* aliique *Salii*, Inſulæ *Batavorum* ſatis proſpectum credidit Julianus. Adeò ut ex inferioribus Caſtellis, quæ plura fuerant ætate Taciti, ſuſcitaverit nullum. Certô indiciô, quòd cum *Friſiis* inde ad *Oceanum Rheno* prætextis, amicitia integra & pax inconcuſſa ſteterit. Quibus proinde ripam *Druſianæ Foſſæ* tuendam tutò relinquere potuit: Ne; hâc tranſitâ, ad *Rhenum* terminatorem & *Batavos* pateret acceſſus.

Num haſce rationes, pænè apodicticas, ſatis perpenderit perſpicaciſſimus aliàs Cluverius (a), ubi CASTRA HERCULIS ultra *Vahalem*, & quidem procul à ripa, transfert in locum prorſus incertum; (a) G. A. II. c. 16. Illorum eſto judicium, quorum in hiſce maximè veneranda authoritas. Hoc interim certus ſum, neminem, qui examinis periculum ipſe fecerit, probaturum doctiſſimi Viri licentiam, ne dicam, laſciviam; quâ uſus eſt in corrigendo duplici illo itinere, quod in Tabula P. deſcribitur inter *Noviomagum* & *Lugdunum*. Eſſe mendum itinere lævô ultra citraque *Vahalim* omninò fateri oportet. Quia ex Tacito (b) perquam manifeſtum eſt, *Grinnes* vicum, hîc ad ſuperiorem lineam relatum, extitiſſe ad *Druſi molem*, *Rheno* objectam: ideoque dextro itineri ſecus *Rheni* ripam modis omnibus accenſendum. (b) V. Hiſt. 20. 21. Cæterum, ut unicum membrum locô emotum reſtituatur, articulatim diſcerpere totum corpus, medicinam facere non eſt; ſed exercere carnificinam.

Tabula, uti modò dictum, inter duas *Batavorum* Urbes primarias; ſuperiorem nempe extra Inſulam, & Inferiorem intra Inſulam,

 Novio-

Noviomagum dico & *Lugdunum*, per omnem & ſolum agrum *Batavum*, dimetitur duplicem hanc viam.



Cluverius noſter, rectè obſervans *Grinnes* vicum, hallucinantis Chalcographi vitio, lineæ non ſuæ affixum; non hunc modò, quod par erat, ſibi transſcribendum duxit: Sed, præter loca tria ad *Rhenum Oceano* proxima, reliqua omnia in ordinem longe diverſum digerere haut veritus eſt; Eâ enormitate, ut alicubi *Batavorum* fineis quoque tranſilierit. Motus, ut ait, locorum vocabulis: Quaſi **Grabe/ Leuwen/ Meerdam, Gieſſenburg/ Alblas/** idem ſint, quod *Carvo*, *Leveſanum*, *Lauri*, *Caſpingium*, *Tablæ*. Aſt quam levicula hæc & tantô Virô indigna, ex dictis & dicendis ad ſingula loca cuivis patebit. Si enim ſolæ *Grinnes*, ex ſuperiore ad inferiorem lineam; inter *Carvonem* & *Leveſanum* transferantur, omnium ratio rectè pariari poteſt; Modò ita inſtituatur, ut etiam amnium anfractus imputentur, ubi ripa legenda: Nam circinô ad lineam promotô de loco in locum, longè minor deprehenderetur paſſuum numerus. Nec tamen intercedo, quo minus nota *X.* in notam *V.* mutetur, inter *Forum Adriani* & *Lugdunum*, atque fiant *VII.* ex *XII.* Secundùm hæc itaque Tabulam denuò exhibuiſſe juvabit ſæpiuſculè eâdem uſuros.



Locus, ubi quondam hæc CASTRA Opidumque HERCULIS fuiſſe demonſtratum eſt, hodiè vocatur **Malburg**: Servatâ ſaltem nominis parte ab antiquis munitionibus, nondum cum fundamento ſubverſis: ubi & antiquitates variæ ſubinde reteguntur. **Burg** puto, à quo etiam hodiè Ruſticorum primo Burgomagiſtri appellatio remanet. Quod ſi Celtæ & Germani Veteres, pro Hercule illo,
(c) Tac. G. c. 2. quem apud ſe fuiſſe, & Primum omnium Virorum celebrant (c); cognitum habuiſſent Tyrium antiquiſſimum in primis & famoſiſſimum,

MAL-

MALCAMI, MALCHI, vel MALICÆ appellatione, quâ Ammonitis ([d]) aliiſque Syriæ confinibus colebatur ([e]). Pœnorum *Malicartha*, Germanorum Malburg/ Græcorum *Heracleopolis*, & Latinorum *Herculis Opidum*, cuncta unius ejuſdemque forent poteſtatis & ſignificatûs. Et quidnî cognoviſſent Herculem Phœnicium Syrio cognomento? utpote qui Punicum vocabulum ipſi Celticæ capiti, *Gadibus*, impoſuerit, & columnas ſuas in aliquam Inſularum *Oceani Germanici* tranſtulerit: uti quidem fama vulgaverat apud *Friſios*? Unde Druſo in Herculem inquirendi cupido, & *Oceanum* claſſe tentandi audentia ([f]). Sanè cum *Phœnicibus* & *Ammonitis* idem de Hercule ſenſerunt *Celtæ*; ſcilicet quòd ſapienti conſilio, perſuadendique efficacia perfecerit omnia; Sicuti quidem, Illi voce; Hi ſymbolo expreſſêre. *Malcom*, *Malchus*, *Malica*, *Syris* eſt Conſiliator: Et *Ogmyus*, *Celtis* pingitur cum aurea catena, à linguæ ſuæ extremitate, pendulâ, quacum omnium aures harpagat, quaſi omnibus conſilia ſua perſuadens. Quicquid ſit; ſunt per Celticam loca plurima, præter MALBURGIUM noſtrum, quibus *Malchi* Syriaci nomen hodieque adhæret, idque ab Herculis fanis, uti quidem de nonnullis ſatis conſtat; *Melitha* nempe ſeu *Maltha* in Mari Mediterraneo; *Malicha* ſeu *Mallega* in Hiſpaniis; *Malmedy* in Galliis; *Maldon*, *Malling*, *Malpas*, *Malton* in Britanniis; Et in ipſa Germania Magna Malmuyen / Malchin / Malchow. Immò Cognomenta, quibus Hercules in Ciſrhenana', ſecunda ſaltem, cultus reperitur, licet à Romanis huc allata, ſoli Tyrio propria videntur. Sunt autem duo omninò, quæ exſtant;

(d) Jerem. XLIX, v. 1.

(e) Voſſ. de Id. Gent. Lib. I. c. 22.

(f) Tac. G. c. 34.

MAGUSANUS & SAXANUS.

Alterum circa *Scaldis* oſtia in antiquo lapide, quem Abr. Ortelius Regius Geographus aſſerit, ſe diligenter inſpexiſſe, atque in eo deprehendiſſe eandem ſcripturam, quæ eſt in numo æreo Poſtumi

HERCVLI MAGVSANO.

quamque nuper comperi extare quoque in lapide in Gelria reperto, cujus copiam mihi fecit pro ſumma humanitate ſuâ, inſigne ſeculi noſtri ornamentum V. C. J. Georg. Grævius. Eſt autem hæc,

HERCVLI. MA
GVSANO. ET
HAEVAE. VLPI
L. VLPIO. ET. VLPI
A. AMMAVA
PRO. NATIS
V. S. L. M.

id eſt,

Herculi Ma-

guſanô

guſano &
Hæva [Hebe] Ulpius
Libertus Ulpiorum & Ulpi-
a Ammava
Pro natis
Votum Solverunt Lubentes Merito.

Vocabulum mihi equidem videtur à Perſis ad Phœnices, à Phœnicibus ad Græcos & Romanos, à Romanis ad noſtrates manaſſe, Heroïs ſapientiam indicans. Magum enim fuiſſe, qui Lybiam primus circumivit navigiô, quibuſdam ſubobſcurè proditum reperitur ([f]). Sunt tamen, qui derivatum conjectant à MAGUSA, non Arabum, non Afrorum (de quibus Plinius) unde nemo facile huc adduxerit Colonos; ſed Celtarum & Germanorum, quondam *Maguntiaci*, ſi Dîs placet, appellatione; verum contra omnium auctoritatem & ipſam rationem Germanicæ nomenclaturæ, quæ haut dubiè Magenzich vel Mayenzich / non Magenhuſen vel Mayenhuſen. Præſtaret itaque, ſi Attributum hoc omninò Germanicum eſſe crediderint, illud derivaſſe à junctis propinquorum ſedibus & civilium ſocietatum coïtionibus, quas communi vocabulo Magen dixêre Veteres Celtæ, atque inde Herculem MAGUSANUM quaſi *Magorum*, id eſt, ſocietatum ſuarum Cuſtodem, ſervatorem & Deum Tutelarem. *Vide infrà Noviomagus.*

([f]) Strab. Geog. II.

Alterum ad *Rhenum*, ſupra agri *Batavi* principium, mihi viſum in Convalle prope Clivos Opidum, quam Bergendal vocari voluit Ill. Princeps Naſſavius Joh. Mauricius F. M. & ex ipſa marmorea baſi vix bipedali, quondam Herculis ſtatuæ in Colle VETERUM ſuppoſitâ, ſine vitio deſcriptum; Quod ecce,

HERCVLI. SAX
SANO. SACRVM
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. LEG. XXII.
PR. P. F. ET COMMI
LITONES. LEG. EJV
SDEM. QVI. SVB
EO. SVNT
V. S. L. M.

Hoc eſt.

Herculi Sax-
ſano Sacrum
C. Sulpicius Ma-
turus Legatus Leg. XXII.
Primigeniæ, Piæ, Fidelis & Commi-

litones

litones Legionis ejuſdem qui ſub eo ſunt.
Votum Solvit Libens meritò.
vel — *Solverunt Libentes vel libenter.*

Hoc quoque cognominis huc à Romanis allatum, uti jam dictum, ita palam eſt ex ſimili epigraphe, quam Pighius, in Italia deſcriptam, exhibuit, in Hercule ſuo Prodicio, ac Gruterus Inſcriptionum operi inſeruit ([b]). Herculum autem nulli cognomen SAXANI propiùs competere putem, quam Tyrio, qui Orientalium primus, per immania SAXA, *Calpen* & *Abylam*, auſus dicitur in *Oceanum* penetrare. (b) Pag. XLIX. 5.

Celticus ergò Hercules habitus, ille Orientalium ſapientiſſimus MAGUS ſeu MAGUSANUS, idemque fortiſſimus SAXORUM perruptor ſeu SAXANUS; id eſt Ammonita, Tyrius, Pœnus.

Nec eſt, quod haſce Numinis Herculei denominationes ad normam vulgaris analogiæ exigant Grammaticè curioſi. Studio enim ab hac receſſiſſe deprehenduntur Idolothytæ. Cùm hunc ipſum Herculem, *Tutanum* non *Tutelarem*: atque adeò MAGUSANUM, non *Magicum* aut *Magonianum*, à Perſarum *Mago* vel Pœnorum *Magone*, dixerint. Item Plutonem *Summanum* vel *Sumanum*, non *Summanium*, à Manium primatu, nec *Sumacem* à ſumendi habitu in congerendis opibus: Aliterque alios cognominarint, nullâ ratione habitâ analogiæ. Quæ tamen in voce SAXANUS non perinde neglecta; ſed præſignificanter deducta, à plurali SAXA. Puta illa duo, quæ Fretum Herculeum obſepiunt quaſi, & ſola Columnarum effigie vel oblongorum Raudorum ſtatuis binis Herculem ipſum, antiquiſſimis ſeculis repræſentabant. Neque aliter, *Latera*, *Mœnia*, *Signa*, *Vetera* & ſimilia, plurium numerô, ex rectò caſu producunt *Lateranum*, *Mœnianum*, *Anteſignanum*, *Veteranum*, &c. Et hæc, quaſi in diverticulo, de Hercule Malcho ſeu Malica, Maguſano & Saxano. Redeundum in viam.

V. CASTRA ULPIA.


DE hiſce, ut aliquid dicam non me movet inſtituti ratio, nec promiſſi fides: Sed ut occurram iis, qui huic loco, ſi non ipſis *Batavorum* finibus, ſaltem in limine ſedem faciunt; Nec videar prætериiſſe quicquam, quod terminos noſtros proximè attingere putatur.

Qui Caſtrorum hujus nominis meminêre, Veterum omnino tres ſunt; Ptolemæus ([a]), Itinerarium & Ammianus Marcellinus ([b]). (a) Geog. II. 9.
Apud priorem eſt LEGIO TRICESIMA ULPIA; Apud alterum (b) Lib. XIIX.
CASTRA ULPIA LEG. XXX. Et apud noviſſimum CIVI- XX.
TAS TRICESIMÆ vel TRICENSIMÆ, item OBTRICEN-

SIMÆ OPIDUM, ſecundùm Codicem Regium Pariſienſem optimæ notæ à Valeſio ([c]) commendatum, & meritò quidem: Vulgata enim, quæ tradit, Julianum Cæſarem, OBTRICENSI MOSÆ OPIDO propinquantem, tranſmiſiſſe *Rhenum*, manifeſtè mendum prodit. Quia *Moſæ* propinquans, non *Rhenum*, ſed *Moſam*, habuiſſet tranſmittendum. Cæſar verò *Rhenum* tranſmiſit in *Francorum* regionem. Adeòque *Rheno*, non *Moſæ*, propinquum fuiſſe oportet Opidum; ad quod trajecit. Ammianus igitur locum illi facit ad *Rhenum* inter *Niveſium* & *Quadriburgium*: Campo nimis amplo, nec LVI. M. P. breviore. Itinerarium coarctat quidem ſpacium, parte plus mediâ, *Vetera* inter & *Burginatium*; Sed neuter definit diſtantiam, quæ utrimque intercedit, incertum itaque relinquunt verum loci ſitum æquè ambo. Nulla enim ſequendi ratio eſt; quòd per *Coloniam Trajanam*, quia in Itinerario & Tabula reperiatur inter *Vetera* & *Burginatium*, hæc CASTRA TRICESIMÆ, quamvis altero Itinerarii latere, eodem ordine poſita, debeant intelligi: Niſi antea liquidò probetur, illâ XX. M. P. intercapedine, unicum tantùm extitiſſe locum. Et ne tum quidem abſoluta foret neceſſitas; cùm Itinerarii latere alterô notati ſint ſitus locorum permanentes, alterô Legionum temporarii. Unde factum, ut quædam utrique laterum, quædam alterutri tantùm, inſeri potuerint. Ptolemæus VETERAM, (ſic loquitur Græcus Ægyptius) *& in hac* LEGIONEM XXX. ULPIAM, ponit inter *Batavodurum* & *Coloniam Agrippinenſem*; & quidem hinc L. M. P. illinc verò XLI. P. M. Inter *Agrippinenſem* quippe & VETERAM, facit differentiam in longitudine minutiarum X. in latitudine L. rejectâ notâ ♃ ſemiſſis ad *Agrippinenſem*, quæ haut dubiè irrepſit, proclivi errore; quia immediatè ſuprà & infrà bis repetita conſpiciatur. Itinerarium habet LII. M. P. Tacitus ([d]) numerat, inter *Aram Ubiorum* ſeu *Bonnam* (quæ XI. M. P. ſupra *Agrippinenſem* eſt) & VETERA, LX. M. P. igitur inter hæc & *Coloniam Agrip.* XLIX. tantùm. Minus etiam Tabula Peutingerana. Alterô autem ſpatiô inter VETERAM & *Batavodurum* Ptolemæo longitudinis differentia eſt ſexageſimarum XV. latitudinis XL. id eſt rectâ viâ XLI. M.P. quos dixi. Tabula, à VETERIBUS, per *Arenatium*, ad *Noviomagum*, colligit XXXVI. M. P. Inde autem ad *Batavodurum* ſeu Batenburg ſupereſſe IX. M. P. vulgo notum eſt; Igitur univerſim XLV. atque adeo IIII. tantùm M. P. ampliùs quam Ptolemæus, qui paſſus facilè, circuitioni per *Arenatium*, imputantur. Mappæ autem noſtræ, rectâ viâ, quâ incedit Ptolemæus, inter Berthem & Batenburg / ultra XXXIIX. M. P. non conficiunt. Sed vix eſt, ut Authores, etiam optimi, in Milliarium numero, non in aliquo aberrent. Licet in hoc tam propè conſentiant, ut, vel Caſtrorum amplitudo, vel paſſuum infra Mille neglectus, vel, è contrario, eorundem colligendorum nimia diligentia, omnem diſcrepantiam, levi negotio, tollat. Verus autem ſitus horum CASTRORUM, ſive VETERUM, ſive ULPIO-

(c) Not. Gall. Voc. Col. Traj.

(d) l. Ann. c. 45.



M· CAELIO· T· F· LEM· BONO
...O· LEG· XIIX· ANN· LIII·
...CIDIT· BELLO· VARIANO· OSSA·
...NFERRE· LICEBIT· P· CAELIVS· T· F·
LEM· FRATER· FECIT·

Hoc est

Marco Cælio Titi filio Lemoniá [tribu] *Bono Nomine*
Primo & Legato Legionis Duodevigeſimæ. Annorum quinquagintatrium.
Cecidit bello Variano. Oſſa
inferre Licebit. Publius Cælius Titi filius
Lemoniá [tribu] *Frater fecit.*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

PIORUM, eſt, infra *Agrippinenſem* ad L. M. P. & ſupra *Batavodurum* opidum XXXIIX. circiter.

Primum horum Auctorem Tacitus (e) facit Auguſtum, à quo hæc Caſtra poſita tradit duabus Legionibus; Uni in colle, alteri in plano, ut hiſce tantis hybernis Germaniæ obſiderentur & premerentur. Mox aliis quoque Caſtris & Caſtellis ad *Rhenum* (f) excitatis, hæc VETERUM nomen adepta ſunt (g) vel vivö Auguſtô. Ante cladem Varianam hîc hibernaſſe Legiones XIIX. & XIX. luculentiſſimis conſtat argumentis. De Duodevicesima eſt illuſtre Cenotaphium Primario ejuſdem Legionis Viro, donis militaribus omnibus ornato, coronâ civicâ, torque, phaleris, armillis, haſtâ purâ, vexillô, quondam ad VETERA erectum, ubi hiberna agere conſueverat. Extat hodiè in Bergendal ad hunc planè modum, quo hic è regione conſpicitur.

(e) IV. Hiſt. c. 18. 23.
(f) Flor. Lib. IV. c. 10.
(g) Tac. I. An. c. 30. junct. 45.

De alterâ Undevicesimâ teſtis eſt Tacitus (h); quòd eodem bello Variano ceciderit & Aquilam amiſerit quoque, à Cæſ. Germanico poſtea receptam. Atque huc reſpexiſſe putem verſus antiquos Cluverio noſtro recitatos (i),

(h) I. Ann. c. 60.
(i) G. A. II. 18.

HUC. REDUCES. OLIM. POST. TEMPORA. LONGA. REVERSAS.
SENSERAT. IRE. AQUILAS. LEGIO. UNDEVIGESIMA; CUJUS
HÆC. *VETERUM*. MANES. *CASTRORUM*. HIBERNA. TUENTUR.

Quicquid etiam diſcrepet inficeta Inſcriptio hæc;

FORTISS. MIL. V. & XIX. LEG.
QUORUM. OPERA. FORTITER. VETERA.
CASTRA. DEFENSA. SUNT.
POLIANDRION.

quam vel ideò ſpuriam & recens additam arguo. Nulla enim in verſibus fit mentio Quintanorum: Neque VETERA CASTRA, ante Cl. Civilis obſidium, unquam oppugnata fuêre; atque tunc quidem fortiter defenſa initiò; ſed à Quintanis & Quartadecumanis (k); non ab Undevigeſimanis. Quorum hic, non niſi Manes cum Aquilis reverſos & inane ſepulchrum, procul verò, apud Variana Caſtra; ubi Cæſ. Germanicus trium Legionum oſſa, ſextum poſt annum, condi fecit (l), quærendum eſſe Polyandrion, cuivis patet. Inſcriptio igitur, ſi quæ addita Cenotaphii verſibus, ad hunc ſenſum eſſe debuiſſet,

(k) Tac. IV. Hiſt. c. 35.
(l) I. An. 59. 61. 62.

FORTISS. MIL. LEG. XIX.
QUI. AMISSA. AQUILA. BELLO. VARIANO.
CECIDERUNT.
OSSA. INFERRE. LICEBIT.

Cæterùm ne Freinshemio (m) quidem talium indagatori ſagaciſſimo ſuboluit,

(m) Not. ad Tac. I. Ann. c. 60.

ſuboluit, unde hæc hauſerit Cluverius; Qui & inter alia Epigrammata & Poematia vetera, hoc ipſum edidit, anno hujus ſeculi decimo nono. Cuncta tamen ſuppoſititia eſſe, non facilè conceſſerim; Solius enim epigraphes, authorem facit H. Junius æqualem ſuum anonymum (n).

(n) Bat. c. XI. Traj. deſcript. Germanicô Cæſare his partibus bellum adminiſtrante, apud VETERA, hibernabant Legiones Quinta ac Una & Viceſima (o), ſecundum Taciti Codicem Florentinum, teſte Lipſio (p): Non verò Quinta & Undevigeſima, quæ dudum perierat, uti cum vulgo malè legiſſe videtur Author modo dictæ Inſcriptionis, hoc quoque nomine, novitatis & ſuppoſitionis ſuſpectus. Præterquam quòd in antiquis Inſcriptionibus Numerus Legioni nunquam præponatur, ſicut illi placuit; ſed ſemper pæne ſequatur. Vitellianis motibus Quintani adhuc in exercitu Inferiore numerati deprehenduntur, cum Primanis, Quintadecimanis & Sextadecimanis: Unetviceſimani autem cum Quartanis & Duodeviceſimanis in Superiore (q). Et dum horum Exercituum pars magna aberat in Italia, duarum Legionum, id eſt, VETERUM hibernis præfuit Mumius Lupercus Legatus (r). Qui, ingruente bello Claudii Civilis, Municipium longæ pacis opus, haut procul caſtris, extructum, diruit; Caſtrorum vallum verò muroſque firmavit, illiſque impoſuit duas Legiones Quintam & Quartadecimam, uti jam dictum eſt, ſeu potius ex iiſdem (reliquis in Italia agentibus) V. Millia armatorum, qui, poſt acrem oppugnationem Civilis fortiter propulſatam, fame preſſi turpem fecêre deditionem, ſuorum pleriſque internecivam quoque, plus quam barbaricâ perfidiâ caſtris direptis & incendio hauſtis.

(o) Tac. I. Ann. c. 45.
(p) Ad Tacit. I. Hiſt. 67. item 55. 61.
(q) Tac. I. Hiſt. c. 55. & 61.
(r) IV. Hiſt. c. 18. 21. 22.

Mox, poſt Civilianum bellum confectum, inſtaurata fuiſſe tum Caſtra, tum Municipium, Imperii conditio dubitare haut ſinit. Sanè, antequam miſſus à Nervâ Trajanus ut *Germaniæ* noſtræ præſideret (s), cis *Rhenum* jam refecta fuerunt omnia; unde forte Domitiano occaſio falſi è Germania triumphi (t). Trajanus autem, non niſi Urbes tranſrhenanas reparaſſe dicitur (u). Quæ verò Legiones hîc fuerint in hibernis, ante duas novas à Trajano jam Imperatore inſtitutas & ſuo nomine donatas (x); *Secundam* puto *Trajanam*; & *Triceſimam Ulpiam* nemini proditum legi. Poſt miſſas ad *Rhenum* novas haſce Legiones, ſua cuique caſtra ceſſêre, novis & propriis nominibus; *Secundæ*, *Trajana* XX. M. P. ſecundùm Ptolemæum, ſupra *Bonnam Antunnaci*, vel propter; *Triceſimæ*, ULPIA in VETERIBUS, quorum partem alteram in colle tum obtinuête Unetviceſimani, antiquô nomine, uti conſtat ex Itinerario. Plurium enim Legionum, unis in caſtris, adeo diſcretos fuiſſe ſitus docet Tacitus (y); ut, etiam caſtris deſertis, de Legionum numero conſtare potuerit. Igitur hæc VETERUM conditio fuit, hodieque luculenter obſervabilis; ut, haut procul à Caſtris, fuerit Municipium, tum CASTRA ipſa, unius Legionis in Colle, alterius in plano. Municipium illud hodie **Santen** dicitur à *Fano* egregio ad *Sanctos Martyres*, monumentis antiquis non adeo

(s) Plin. Paneg. c. 9.
(t) Tac. Vit. Agr. c. 39.
(u) Eutrop. VIII. princ.
(x) Dio Lib. LV.
[illegible]
(y) I. Ann. c. 60.
[illegible]

adeò frequens, uti ipſa Caſtra. Ab hoc per P. M. aſſurgit collis adeo leniter, ut vix adſcenſum obſervare liceat; deſinit autem ad *Rhenum* in præcipitium, cui nomen eſt **Vorſtenberg** / corruptum ex **Variſchenberg** / id eſt, *Variano monte*, uti haut inconcinnè conjectat Pighius [z]. Ad hujus radicem, ſeptentriones verſus, eſt profunda planicies, crebris eluvionibus plerunque fœda & lubrica; quam ideo Tacitus [a], & ex eo alii, paludem dixiſſe videtur: Veræ enim Paludes, quæ nobis **Broek** / **Moer** / **Veen** / heic circum nullæ ampliùs. Si quæ fuerint unquam, has dudum fluctibus vel flammis exhauſtas fuiſſe oportet. Verſus meridiem denique fuit altera Caſtrorum pars in æquo. Ubi quamplurima monumenta, ſuperiori & noſtro ſeculo, detexit *Rhenus*, ripam illic ſenſim depaſcens, Quæ clarè adeò produnt, heîc diu fuiſſe hiberna LEG. XXX. ULPIÆ, ut de Ptolemæi & Itinerarii authoritate hactenus dubitare neutiquam liceat. Germani hunc locum dixere **Berthem** quaſi **Vetrhem** / id eſt, *VETERUM ſitum*, eodem Pighio Authore, haut inſolenti metatheſi R. litteræ, & V. tanquam B. ſuo more pronunciatâ, quod & ipſis Romanis in uſu poſitum. Monumenta autem hîc reperta, quæ LEGIONIS XXX. mentionem faciunt, rei antiquariæ egregio, in ſuo **Bergendal** repoſuit Ill. Princeps Naſſaviæ J. Mauricius F. M. mihi diligenter perſpecta & fideliter deſcripta ad marmora ipſa; prout heîc exhibentur cum quadam expoſitione, ſed mea tantùm, primô exceptô:

[z] Herc. Prodic.

[a] V. Hist. 151

I.

FORTVNAE
SACRVM
SEXTILIVS
EPIDVS · VET ·
EG · XXX · V · V ·
RO · SE · ET · SVIS
V · S · L · L · M ·

Hoc olim Pighius jam vidit integrum in ædibus Præpoſiti Santenſis, & edidit in ſuo Hercule Prodicio, atque ita reſolvit;

Fortunæ Sacrum Cajus Sextilius Lepidus
Veteranus Legionis XXX. Ulpiæ Victricis
Pro ſe & ſuis
Votum ſolvit lubens lubens meritò.

Sed malim ——— *lætus lubens* vel ——— *lubentiſſimè.*

II.

IN· H· D· D· PRO
SALVTE· IMP· SEVERI
ALEXANDIRI· AVG· DEO
APOLLINI· DYS PROLVS
OLO_ DE· MILITES· LEG·
XXX· V· V· P· F· SVB· CVRA
AGENT· T· F· APRI· COM·
MODIANI· LEG· AVG· P· P· Ꝫ
CANNVTI· MODEST· LEG·
LEG· SEPT· MVCATRA
IMAG· ET· SEPTI· CALLVS
ET· SEPT· MVCATRA· ET
SEPT· DEOSPOR· ET· SEPT·
SAMMVS· Ꝫ· SEPT· MVCATRA
CANDIDATI· V· S· L· M·
MAXIMO· II· Ꝫ· AELIANO
COS·

Apri Commodiani Leg. Aug. Pr. Pr. mentio quoque fit alia inſcriptione ap. Gruter. pag. CIII. 11. nec dubitem illic pro EL. APRO legendum FL. APRO uti hic.

Hoc eſt:

In honorem Domûs Divinæ Pro
ſalute Imperatoris Severi
Alexandiri Auguſti. Deo
Apollini, Diis propitiis, Lunæ Solique Devoti Milites Legionis
XXX. Ulpiæ, Victricis, Piæ, Fidelis, ſub cura
agentes Titi Flavii Apri Commodiani Legati Auguſtalis Proprætoris, &
Cannuti Modeſti Legati
Legionis. Septimius Mucatra
imaginifer, & Septimius Callus,
& Septimius Mucatra &
Septimius Deoſporus, & Septimius
Sammus, & Septimius Mucatra
candidati. Voto ſoluto libens merito.
Maximô iterùm & Æliano
Conſulibus.

III.

III.

I. O. M.
M A R T I V S
V I C T O R
SIG. LEG. XXX. V. V
S E V E R I A N A E
A L E X A N D R I
P. F. V. S. L. M
AGRICOLA. ET. CLE
MENTIANO. COS.

Hoc eſt:

Jovi Optimo Maximo
Martius
Victor
Signifer Legionis Triceſimæ Ulpiæ, Victricis
Severianæ
Alexandrinæ
Piæ, Fidelis. Votum ſolvit lubens meritò.
Agricolâ & Cle-
mentianô Conſulibus.

IV.

Sub imagine Jovis cum barbâ & capillis promiſſis ac cincinnatis, abſque ullo velamento, dextrâ fulmina, lævâ baculum capitatum benè longum tenentis; Cum Aquila ad pedem dextrum.

I. O. M. C O N S E R
V A T O R I. T E R T I
N I U S. V I T A L I S
MIL. LEG. XXX. V. V. S. A
L I B. PRÆF. PRO. SE
E T. S V I S. V. S. L. M
LVPO. ET MAXIMO. COS.
VI. KAL. MAIAS.

Hoc eſt:

Jovi Optimo Maximo Conſer-
vatori. Terti-

nius

nius Vitalis
Miles Legionis XXX. Ulpiæ, Victricis, Severianæ, Alexandrinæ
Librarius Præfecti. Pro ſe
& ſuis Votum ſolvit libens meritò.
Lupo & Maximo Conſulibus.
Sexto Kalendas Majas.

V.

Sub imagine Jovis, & Junonis à læva, & Minervæ à dextra.

I. O. M. IVNONI. REGINE
MINERVÆ. T. QVARTINI
VS. SATVRNALIS. SIGNI
FER. LEG. XXX. V. V. PRO. SE
ET. SVIS. V. S. L. M.
M. P. DN. GORDIANO. ET
AVIOLA. COS. KAL. IVL.

Hoc eſt:

Jovi Optimo Maximo, Junoni Reginæ
Minervæ. Titus Quartini-
us Saturnalis Signi-
fer Legionis Triceſimæ, Ulpiæ, Victricis pro ſe
& ſuis Votum Solvit Libens Meritò.
Maximo Principe Domino noſtro Gordiano &
Aviolâ Conſulibus Kalendis Juliis.

VI.

MATRIBVS
TREVERIS
T. PATERNIVS
PERPETVVS
CORNICVLAR
LEG. LEG.
XXX. V. V. L. M.

Hoc eſt:

Matribus
Treveris
Titus Paternius

Perpetuus

Perpetuus
Cornicularius
Legati Legionis
Triceſimæ, Ulpiæ, Victricis, Libens Meritò.

Quibus omnibus addo Lapidem apud VETERA repertum, hodiè Trajecti penes optimum ſequeſtrum.

M. ANTST. PLACIDIN
M. VLP. ASPADIUS. L--
--L. VICTOR. MISSI
HON. MISSIONE. EX
SIGNIFER. LEG. XXX. D.D
FAVSTINO ET RVFINO
COSS.

Hoc eſt:

Marcus Antiſtius Placidinus
Marcus Ulpius Aſpadius. Lucius Aurelius Victor. Miſſi
Honeſta miſſione Ex
Signiferis Legionis Triceſimæ. Dedicarunt.
Fauſtino & Rufino
Conſulibus.

Eant jam qui erudito Orbi hactenus perſuadere anniſi ſunt & propè perſuaſerunt: CASTRA ULPIA ſeu LEGIONIS TRICESIMÆ fuiſſe in finibus *Batavorum* V^to^. Milliari à *Rheni* divórtio, ubi nunc vicus Cöln ſeu Keln/ de quo paullo poſt.

VI. Cauci, Chauci. Cauchi Populus. Chaucis Regio.

QUi æſtuantis ab *Oceano Amiſiæ* ripam, *Friſiis* adverſam, coluerunt; CAUCI antiquitus dicti fuerunt. Aliis ſyllabæ primæ, aliis ultimæ aſpirationem miſcentibus. Gens origine, linguâ, virtute, moribus par *Friſiis*, numero ſuperior: Civitatis autem diverſæ, quoad Rom. Imperium valuit in *Germania* Inferiore. Hâc verò Provinciâ Transrhenanis, qui *Francorum* nomine pridem coïerant, derelictâ, ejuſdem non modo Civitatis, ſed & nominis eſſe cœpit, *Friſici* ſcilicet: Quod etiamnum ad *Oceanum* perdurat: ſocietate iterùm, factionibus domeſticis, diſſolutâ & variè diſtractâ. Vetus nomen non ab ingenio Regionis: ſed à genio ipſius Gentis tractum videtur. Germani

F enim

enim KAUTZEN vocant Viros antiquâ virtute & fide, ingenio apertos & amœnos, manu promtos, quos nemo impune laceſſit. CAUCOS autem tales omninò fuiſſe Tacitus (a) locuples Author eſt.
(a) Ger. c. 35.
CHAUCI, inquit, *populus, inter Germanos, Nobiliſſimus, qui magnitudinem ſuam malit juſtitiâ tueri. Sine cupiditate, ſine impotentiâ, quieti ſecretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quòd, ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, & ſi res poſcat exercitus: plurimùm virorum equorumque. Et quieſcentibus eadem fama.*

Fines huic Genti idem aſſignat ampliſſimos; ita *ut incipiant à Friſiis ac partem littoris occupent*, ab Amiſia in Albim, ſecundum Plinium & Ptolemæum, *obtendanturque lateribus, Angrivariorum, Chamavorum, Dulgibinorum, Chaſſuariorum, aliarumque Gentium non perinde memoratarum, donec in Cattos uſque ſinuentur. Atque tam immenſum terrarum ſpatium CHAUCOS non tenere tantùm, ſed & implere* affirmat.
(b) G. A. lib. II. Quid verò hiſce finibus hodie contineatur, Cluverius (b) ex ſuo ingenio definivit.

Diſtinctos fuiſſe in Majores & Minores ſeu Parvos, ex Plinio, Tacito, Ptolemæo conſtat: Unde Vellejo Paterculo (c) CAUCHORUM NATIONES memorantur. C. Plinius, qui utramque adiit, Majores primo loco, id eſt, inter *Amiſiam* & *Viſurgim*, Minores, ultimô, inter *Viſurgim* & *Albim*, collocat: Et rectè quidem, quia, Hi ab illis, ſpatio terrarum vel duplo ſuperentur. Quæ ſola ratio Ptolemæum (d), qui contraria diſpoſitione utitur, erroris ſatis manifeſtum facit.
(c) Lib. II. Pl. IV. 14.
(d) Geog. II. 11.

Solum, interiora occupans, paluſtre & nemoroſum ferè eſt, aut arenoſum. In littore verò, à multis ſeculis Friſico nomine clarum, & hodiè uberrimum, Plinii ætate, ante argilloſas moles Mari objectas, tale omninò fuit, quale nobis deſcriptum aut veriùs depictum ob oculos poſuit (e) ad hunc modum. *Sunt*, inquit, *viſa nobis Gentes CAUCHORUM, qui Majores Minoreſque appellantur. Vaſto ibi meatu, bis dierum noctiumque ſingulatum intervallis, effuſus in immenſum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controverſiam, dubiumque terræ ſit an parte in maris? Illic miſera Gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus, ad experimenta altiſſimi æſtûs. Caſis ita impoſitis; navigantibus ſimiles cùm integunt aquæ circumdata; naufragis verò cùm receſſerint. Fugienteſque, cum mari, piſces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abactâ frutice. Ulva & paluſtri junco funes nectunt ad prætexenda piſcibus retia. Captumque manibus lutum, ventis magis quam ſole, ſiccantes; Terrâ cibos & rigentia, ſeptentrione, viſcera ſua urunt. Potus iis non niſi ex imbre ſervato ſcrobibus in veſtibulo domûs. Et hæ Gentes, ſi vincantur hodie à Populo Romano, ſervire ſe dicunt. Ità eſt profectò; multis fortuna parcit in pœnam.*
(e) H. N. XVI. c. 1.

Druſus

Druſus Germanicus, *Amſibariis*, navali prælio, victis (f), *Friſiiſque* ſubactis, per paludem in CHAUCIDEM, Romanorum primus penetravit (g).

(f) Strab. Geog. VII.
(g) Dion. Lib. LIV.

Tiberius frater, CAUCHORUM nationes imperium detrectantes, mox in fidem recepit, genibus ſuis advolutas armiſque ſpoliatas; impoſitis Vexillariis (h).

(h) Tac. I. An. 38.

Cæſar Germanicus amborum filius, fidelium deinde commilitio uſus eſt utraque expeditione in *Cheruſcos* (i).

(i) d. Lib. I. c. 60. & II. c. 17.

Claudio imperante, cum pacem exuiſſent, ſuperati à P. Gabinio ſecundo, qui CAUCII cognomen inde retulit; & ſimul à Marſis, [ſeu *Mauruſiis*, ut eſt apud Dionem] ejuſdem fortè rebellionis ſociis, Aquilam, quæ ſola apud Barbaros à clade Variana ſupererat, recuperavit, Auſpicique Claudio IMPERATORIS homen primus paravit (k). Sed brevi poſt Germaniam Inferiorem incurſare auſi, à Corbulone malè mulctati fuiſſent, immò excidio noviſſimo plexi, ni Claudius in Germanias vim prohibuiſſet & præſidia cis *Rhenum* referri juſſiſſet (l).

(k) Suet. in Claud. c. 24. junct. Dion. Lib. IX.
(l) XI. Ann. 18-20.

Cæterum pacem ne ſic quidem diu retinuerunt; *Amſibarios* vicinos, ſub Nerone, ſedibus pellentes: Avitô Inferioris Exercitûs Legatô ad illa connivente (m).

(m) Tac. XIII. An. c. 55.

Deinde, Vitellianis motibus, palàm cum *Batavis*, *Friſiis*, aliiſque Germanis, Duce Cl. Civile, in Imperium inſurgentes (n).

(n) IV. Hiſt. 49. & V. c. 19.

Bellô Civilis confectô, in obſequium Rom. cum cæteris rediêre; ſed non perſtitêre ultra Marci Principatum, quô in *Belgicam* irrupe-runt, à Didio Juliano, cum Præſide, poſt Imperatore, curſum ſiſtere coacti (o).

(o) Spart. in D. Jul. c. 1.


Atque hæ defectionis & obſequii viciſſitudines CAUCIS duraſſe videntur; donec partim in *Francorum*, partim in *Friſiorum* ſeu *Saxonum* nomen & ſocietatem tranſierint, priſco vocabulô impoſterùm penitùs oblitteratô.

VII. Cevelum.

EX antiquis monumentis ſola Tabula Peutingerana agnoſcit CEVELUM, itinere, quod dimetitur, *Noviomagô* ad *Tungrorum* Caſtellum *Atuacam* ſeu *Atuatacam*, ætate A. Marcellini (a); urbem amplam & copioſam, ſecundæque dignitatis (b). In hoc ſaltem lapſus eſt Chalcographus; quòd ad III. lapidem à *Noviomago* hunc locum collocaverit, qui ad IX. disjunctus manifeſtè deprehenditur. Vetus enim ſitus eſt ad Moſæ dextram XXII. M. P. infra *Blariacum*, vicum hodiè ad *Moſæ* lævam, veteri nomine Bleric notum; qui abeſt *Noviomago* XXXI. M. P. Ex quibus igitur CEVELUM ſibi vendicat IX. M. P. & proximè, illum locum, ubi hodiè eſt Gennep ad *Nirſæ* & *Moſæ* confluentes. Quæ Cluverius noſter (c) ſatis ingenioſè, ludit in nomine, ſint in medio. Uti nec definio utrum

(a) Lib. XV.
(b) Not. Gall.
(c) G. A. II. 18. fin.

Batavis an verò *Gugernis* accenſenda ſit CEVELUM. Sufficit in confinio extitiſſe. Tabula autem ità emendata, per reliquum itineris rectiſſimè ſe habet, prout cognoſcere licet ex ſubjecto ſchemate;



Quæ porrò ſequuntur, uſque ad *Coloniam Agrippinenſem*, gravi emendatione egent, tam in Itinerario, quàm in Tabula. Sed hæc, licet extra oleas noſtras, ſæpiùs ſeſe offerent, aliquando ſuppetiarum aliquid reportatura.

VIII. CHAMAVI.

GErmaniæ Tranſamiſianæ Populus, hoc nomine Veterum pluribus celebratus, *Friſios* noſtros, ſedibus antiquis, quoque contigit, exiguâ licet *Amiſiæ* particulâ, quæ eſt inter *Weneram* vicum & *Ledæ* amnis confluvium. A *Leda* enim ad *Haſam*, *Amiſiæ* prætextos fuiſſe oportet CHAMAVOS. Quia *Caucos* habuerint à fronte, interfluente *Leda*; *Angrivarios* à tergo, *Haſâ* terminatore; *Dulgibinos* denique à dextris inde à *Ledæ* fontibus ad proximam *Haſæ* ripam, uti quidem ex Tacito (d) non adeo obſcurè colligitur.

(d) Ger. c. 33. 34.

Qui hodiè hos fines incolunt **Hümlingen** ſeu **Hemlingen** vocantur, ab agris, quibus tres illi amnes, *Amiſia*, *Leda*, *Haſa*, exundantes undequaque ſuperfundi ſolent. Quales apud *Friſios*, **Hamlanden** / **Hemricken** hodieque vocant. Hic verò **Ham-auwen** / & ſolitâ (e) aſpirationis regurgitatione **Cham-auwen** dixiſſe credendum eſt, id eſt, *Prata eluvionibus expoſita*. Unde Romani CHAMAVOS; & Veſtovali hodierni, à ſolo HAM, ſuum **Hamling** / **Hemling** / **Hümling** / formarunt. Sed has ſedes, cum uberioribus ad *Rhenum* & *Salam*, ſemel iterumque mutarunt. Sunt enim ad dictos fluvios agri, qui initio *Menapiorum* fuerunt (f). Hos Romani, *Menapiis* in Ciſrhenanam, immo in Ciſmoſanam recedere coactis, Militum ſuorum uſibus ſepoſuêre: Cùm verò ſæpius contingeret, ut, militibus cum exercitu procul abſentibus, ſubinde vacarent, alii, ex Populis vicinis, immigrarunt: Et quidem omnium primi CHAMAVI; mox *Tubantes*; poſt hos *Uſipii*; deinde *Friſii*; denique *Amſibarii*; momentanea poſſeſſione omnes. Prioribus IV. quidem ad propria reverſis: Poſtremis autem in miſerandum exilium ejectis, uti ſuo loco narratum (g) eſt. Poſtquam verò Romani Milites animum revertundi planè abjecerunt, *Bructeris* proximis ceſſiſſe videntur: Quibus propè ad internecionem deletis, iterum hos agros, cum aliis *Bructerorum* Minorum latifundiis, occuparunt CHAMAVI, ſtabili deinceps poſſeſſione; hoc modo vicini facti *Tencteris*, quibus ſua reliquerant *Sigambri* in Cisthenanam captivitatem tranſportati: Immò & *Batavis* & *Friſiis*, *Rheno* interpoſitô

(e) Vid. ſ. ad CASPINO.

(f) Cæſ. B. G. Lib. IV.

(g) Ad Amſibar.

ſitô. *Rhenum* enim, poſthæc, accoluiſſe CHAMAVOS, non modo ex hoc Taciti ([h]) loco liquet; ſed magis etiam ex Tabula Peutingerana, A. Marcellino ([i]) & Sulpicio Alexandro ([k]). Præterquam quòd hodiè ſuperſit, iiſdem in locis, vicô cuidam nomen **Hümmel** / ex antiqua Patria allatum. *Rheno* igitur prætexti tunc fuêre, à *Tencteris* ad *Bercolam* amnem: Impoſterum celebris adeo nominis in *Francorum* ſocietate, ut in Tabula Peutingerana proximè trans Rhenum notati reperiantur CHAMAVI, QUI ET FRANCI: uti, loco ELPRANCI, rectè correxit Velſerus & poſt illum Bertius ([l]). Quinimo Am. Marcellinus narrat ([m]): *Francos*, qui, Conſtantio II. Imperante, cis *Moſam* prælicenter habitacula fixerant, *Salios* fuiſſe & CHAMAVOS, à Juliano Cæſare, quidem victos, ſed ad ſua redire permiſſos. Poſt hæc diu Romanorum ſtipendia meruêre in Auxiliis Palatinis, una cum *Francis* reliquis; uti palam eſt ex Notitiarum Libro ([n]): Uſque dum, proculcatâ, his partibus, Majeſtate Imperii, Germaniæ Inferioris Provinciam, *Francorum* dominationi, permiſêre Romani; CHAMAVORUM nomine ſenſim evaneſcente, & regione *Friſiis* accedente.

(h) XIII. An. c. 55.
(i) Lib. XVII. c. 18.
(k) Ap. Greg. Turon. Lib. II. c. 9.
(l) Com. Rer. Germ. Lib. I. c. 23.
(m) Lib. XVII. 17. 18.
(n) De V. S. Duce Thebædos.

IX. Colonia Trajana.

M. Ulpius Trajanus, qui, miſſu Nervæ, aliquandiu Germaniæ noſtræ præſedit, atque ibidem adoptatus ab Imperatore ([a]); Germanici titulo auctus à Senatu ([b]); Et denique Imperii inſignia adeptus ([c]); ſui nominis monumenta, ad utramque Rheni ripam, plura condidit. Duas etiam Legiones novas à ſe inſtitutas ([d]) *Germaniis* impoſuit; quarum altera II. *Trajana*, *Caſtris Trajanis*; altera XXX. *Ulpia*, *Ulpiis* nomen fecerunt, de quibus jam dictum. Sunt præterea, *Caſtellum Trajanum* ex adverſo *Maguntiaci*, A. Marcellino memoratum ([e]). Et COLONIA TRAJANA ad *Batavorum* fines, cujus nuſquam alibi, quam in Itinerario & Tabula Peutingerana, facta eſt mentio, deductionis tempore planè tacitô. Quod tamen rejiciendum jubet, ſumma Principis modeſtia & in Patrem veneratio, ad ipſius Trajani Imperium: ne arrogantiam Agrippinæ ambitioſæ mulieris, nec verecundantis Coloniæ & Prætorio, de ſuo, nomen imponere, indecenter imitatus videatur. Magis etiam ignoratur, qui fuerint Coloni, quos eò deduxit, Transrhenanine in fidem recepti & Veteranorum univerſis Legionibus immiſti? exemplo *Ubiorum*. An, ex Legionariorum & ſociorum diverſis manipulis bello inepti, ut Tarentinorum & Antiatum ([f]), Aliive procul acciti? more antiquiſſimo.

De Loco, non ultra ambigendum, quin diverſus ſit, uti à *Caſtris Trajanis Legionis II.* (quod omnes agnoſcunt) ita quoque à *Caſtris Ulpiis Leg. XXX.* Neque vel minimum extat indicium, hîc unquam fuiſſe Alæ vel Cohortis, nedum Legionis hiberna. Quæ enim hodie viſitur inſcriptio in **Bergendal** / hiſce verbis;

(a) Dion. LXIIX.
(b) Plin. Pan. c. 9. Sidon. Carm. VII. v. 115.
(c) Eutrop. VIII. Oroſ. Lib. VIII.
(d) Dion. LV.
(e) Lib. XVII. c. 3.
(f) Tac. XII. An. 27. & XIV. 23.

DIS. MANIBVS
M. VETTI. SATVR
NINI. VET. LEG.
XXII. P. P. F. CIVI.
TRAIANENSI. M
ANTONIVS. HONO
RAT.

Hoc eſt:

Diis Manibus
Marci Vettii Satur-
nini. Veterani Legionis
Duo & viceſimæ, Primigeniæ, Piæ, Fidelis
Civis Trajanenſis. Marcus
Antonius Hono-
ratus.

ante portam Rhenenſem *Opidi Santenſis* effoſſa eſt, atque adeo ipſis *Veteribus* debetur, & quidem illi Caſtrorum ſitui, qui in Colle eſt, ubi aliquando Legionis XXII. hiberna. Neque aliud probat; quàm Civem Trajanenſem, id eſt, COLONIÆ TRAJANÆ, cum Legionariis Duoetviceſimanis egiſſe in colle *Veterum Caſtrorum*. Non contrà; Legionem XXII. hibernaſſe COLONIÆ TRAJANÆ, quia Civem Trajanenſem inter Veteranos numeravit.

Fuit autem Colonia hæc V. M. P. à *Burginatio*, Gallico in ſolo, Itinerarii & Tabulæ magno conſenſu. Locus etiam hodiè retinet idem nomen, quod *Colonia Agrippinenſis*; Cöln enim ſeu Keln appellatur Vicus, qui ibi ſupereſt pertenuis, haut procul à Veteris *Rheni* ductû, ab Arce *Clivienſi* verò M. P. M. verſus ortum æſtivum. Eruta hîc aliquando comperi varia monumenta, lampades, urnas, lapides, numos: ſed de Legionibus nihil. Facilè quidem adducor, ut credam; conceſſiſſe Colonos, ob *Rheni* indomitam violentiam, undique circum, novos alveos perforantis, qui adhuc viſuntur, in proximos Clivos, initiumque dediſſe *Clivenſi Opido* totius agri dudum primario. Sed ideò *Coloniam Æliam* fuiſſe dictam, quaſi ab Ælio Adriano Imperatore conditam, nequaquam aſſentior Pighio (g), qui talia ex ſuo ingenio commentus eſt; Ut Ælium Gracilem (ſi Dîs placet) primorum Comitum Clivienſium Progenitorem, atque adeo Comites ipſos Adriani Imperatoris Gentiles faciat. Quod attinet ad diſtantiam loci ſuperiùs proximi, ad *Vetera* nempe, Itinerarium ex Tabula ſuppleri conveniet; Cùm Illius numeri, hoc ſpatio exeſi vetuſtate, legi non potuerint. Hæc verò, XV. M. P. illos numeret, qui veriſſimè intercedunt. Nec eſt, quod in Tabula Peutingerana quis legat pro *XV*. Quadraginta; quia linea

(g) Herc. Prod. pag. 40.

linea inferior notæ dextræ magis forte fuerit divaricata, quam par erat ad exprimendam notam V. uti dudum obſervavit perſpicaciſſimus ad omnia Cluverius ([h]). Licet ne teſtibus quidem opus ſit in re notiſſima. Cæterum utrum *Gugernis* an *Batavis* accenſenda ſit COLONIA TRAJANA haut temerè definiverim. Fuere enim antiquitùs alii limites inter *Gugernos* & *Batavos*, quam hodiè, hac parte, ſunt inter *Gelrienſes* & *Clivienſes*, quotum poſteriorum in finibus, jam ferè ad *Noviomagum* prolatis, extra controverſiam hæc TRAJANA COLONIA eſt.

([h]) G. A. Lib. 2.

Sed & alias ejuſdem Imperatoris Colonias in Numidia & Dacia extitiſſe conſtat. Ex quibus *Numidica* ([i]) ULPIA tantum fuit dicta; uti hæc noſtra *Germanica* TRAJANA tantum: *Dacica* verò ULPIA TRAJANA ſimul; inſuperque *Auguſta*, *Dacica*, *Sarmigetuſa*, *Metropolis*; uti ex tot nummis & Inſcriptionibus ([k]) præclariſſimè notum eſt.

([i]) Grut. MXC. 16.

([k]) CCXLIIX. 7. ſeq. 4. CCLIV. 1. CCLXVI. 2. CCLXXII. 2. CCCXCIX. 6. CCCC. 1. CCCCXXVII. 2.

X. Corbulonis Fossa.

CN. Domitius CORBULO ([a]) Vir ſplendidæ originis, acceptâ à Claudio *Germaniæ Inferioris* Provinciâ, quæ militia illi principium fuit, magnâ curâ, aſtu & ſeveritate, magnam ſibi acquiſivit gloriam, ac triumphalia quoque inſignia, bellô licet abſtinere juſſus. Ut tamen miles, operum & laboris ignarus, otium exueret, inter *Moſam Rhenumque* XXIII. Millium ſpatio, FOSSAM produxit, quâ incerta *Oceani* vetarentur; uti loquitur Tacitus ([b]). Vel, ne fluvii, in *Oceani* æſtu, refluentes ſuperſtagnarent, ſecundum Dionem Caſſium ([c]).

([a]) Dio. Lib. LIX.

([b]) XI. An. c. 20.

([c]) Lib. LX.

Suprà in *Caninefatibus* dictum eſt, Populum illum *Cajis* ſeu modicis aggeribus, humiles agros ſuos, contra leves & longinquos æſtus utcunque munire ſolitum; In majores & propinquos operoſiori mole indiguiſſe. De hac ut proſpiceret induſtrius CORBULO, excitare voluit, haut procul *Oceano*, Aggerem ingentem, qui Provincialium *Cajos*, hinc *Vahali*, inde *Rheno* oppoſitos, jungeret, ut, tanto certius, *Oceani* æſtus ab agris interioribus, arcerentur. Atque huic fini hanc FOSSAM depreſſit, ad eam latitudinem & profunditatem, quæ, terrâ egeſtâ, operi ſufficeret: Idque non ſine aliquo circuitu, loci naturâ fortè ita exigente. Cum aliàs, nuſquam in *Batavis*, *Rhenus* à *Moſa* XXIII. M. P. immo vix quidem ultra CLXX. ſtadiorum ſpatium, (quod apud Dionem eſt) disjunctus reperiatur. *Moſam* igitur vix alio loco contingere potuit, quàm infra hujus *Vahaliſque* Confluentes è regione **Geervliet**. Ad *Rhenum* cœpiſſe à capite Rivi Lugdunenſis, cui nomen **Vliet**/ maximè vero conſentaneum videtur: nec valdè dubitandum, quin ipſa FOSSA germanicè ſic fuerit appellata. **Vliet** enim Ger-

Germanici *Oceani* accolis denotat Æſtum Maris, cui arcendo hæc opera impenſa fuit. Sed ideo aſſerere, FOSSAM CORBULONIS eſſe eandem, quæ hodiè, à *Lugduno*, per *Delfenſem* Urbem, ad *Moſalandiæ* Cataractas ducit, planè adverſatur fidei manifeſtæ Annalium Hollandicorum (d), qui novi operis tum annum, tum Auctorem liquidò edunt. CORBULONIS enim Aggerem, mox poſt ripas, longè firmiore opere, in *Oceanum* uſque munitas, ceu inutile pondus, iterum in FOSSAM dejectum, dubitare haut licet, nullô ejus veſtigio uſpiam apparente. Qui, relictis Tacitô & Dione, hujus viæ Ducibus unicis, à prædictis duobus Vlietten longiùs in ſuperiora aſcendunt, fortè verentur, ne in FOSSAM CORBULONIS incidant; adeo omni aliâ ratione ſunt deſtituti.

(d) Vid. Adr. Jun. Bat. XI. in Delf. Deſcript.

XI. CORBULONIS MUNIMENTUM.

IDem CORBULO, haut diu ante *Foſſam*, à *Rheno* ad *Moſam*, productam, trajecturus *Amiſiam*, quo claſſe advenerat, in *Chaucos*, ſeveritatis & aſperitatis ſuæ famâ, territos *Friſios*, acceptis obſidibus, recepit in fidem, quam inde ab Aproniana clade deſeruerant. Iiſdemque agros deſcripſit, & præſidium IMMUNIVIT, ne iterùm juſſa exuentes Romanum limitem perrumperent ultra deſcriptos fineis. Ac, quo magis manſueſcerent, Senatum, Magiſtratus, Leges impoſuit (a).

De anno, quo hæc geſta, ſatis quidem conſtat ex Dione (b). Fuit nempe Æræ Chriſtianæ vulgaris XLVIII. Claudio IV. & A. Vitellio III. Conſulibus.

(a) Tac. XI. An. c. 18. 19.
(b) Lib. LX.

De Loco autem, in quo hoc Præſidium MUNITUM, non æquè expedita ratio eſt. Hanc igitur inire oportebit ex omnibus illis, quæ rem geſtam circumſtant: Ad *Baduhennæ Lucum*, demonſtratum eſt; ſolos Transflevanos fuiſſe, qui Exercitus Apronianos fuderunt & retrocedere coegerunt: *Friſiis*, qui in ipſo *Rheno* ſunt, Romanorum claſſe ſeparatis, aut aliàs in obſequio retentis. Rurſum Tacitus; CORBULONEM *Chaucos* infeſto exercitû petentem, eâdem viâ, quâ olim Germanicus *Cheruſcos*, per foſſas & Lacus & Æſtuaria, ad *Amiſiæ* ſtationem, *Friſiorum* Legatos & Obſides obvios habuiſſe, haut obſcure innuit (c). Ex quibus vix alia prodit ratio; quàm excitatum fuiſſe hoc CORBULONIS MUNIMENTUM, cui præſidium, Senatum, Magiſtratus, Leges impoſuit; in *Friſiis trans Flevum*, eâ parte, quæ *Amiſiæ* & *Chaucis* proxima eſt. Sed necdum de vero ſitû conſtat, quem petendum omnes facilè arbitrabuntur à commoditate loci, & illis, Senatûs, Magiſtratuum, Legum veſtigiis, quæ alicubi extare deprehendentur.

(c) I. An. 60. 70. II. An. c. 8.

Locum GRONINGA noſtrâ magis commodum, nemo ſanè, totâ *Friſiorum* regione, demonſtraverit; Sive viciniam *Amiſiæ* Stationis Romanis adeo frequentatæ; Sive facilem ſubvectionem ab *Oceano* & *Marnamano Portu*; Sive denique terreſtre iter, ſolido & edito dorſo à

Foſſa

Foſſa Druſiana, reſpexerit. Neque Urbem alteram, cujus regiminis forma Romanæ magis conſimilis: Hîc Senatus, ſummæ auctoritatis. Hîc Conſules, Prætores, Quæſtores, Cenſores, Ædiles. Hîc Præfecti, Urbis, Vigilum, Viarum, Aquæductuum, Annonæ, Armorum. Hîc Tribuni Plebis & Militum: Omne denique genus Magiſtratuum, qui apud Romanos. Ipſe quinetiam Dictator difficillimis temporibus non ignoratus. Accedunt leges plurimæ ex XII. Tabulis liquidò tranſſcriptæ, quædam ad verbum, quædam cum levi variatione aut temperamento, ſeu ſunt;

Ex Tabula Primâ.

Prætor in Comitio aut in Foro ante meridiem cauſſam conſcito.

Een Richter zal zijn rechtdagen holden by klimmender Son. *Omland. Landr. Lib. I. a.* 24.

Ex Tabula Secundâ.

Adverſus Hoſtem æterna auctoritas eſto.

Allen Uptheemſchen / die binnen Groningen en Omlanden niet woonachtig / en willen alhier geen Naarkoop toeſtaan. *Stadb. Lib. I. a.* 26. *Oml. V. a.* 14.

Ex Tabula Tertiâ.

Æris confeſſi XXX. dies juſti ſunto. Poſt dein, ni judicatum fuerit, manus injectio & ductio in compedes XV. pondo ne majores.

Om Jechtige Schuld zalmen XXI. **fetten. Voldoet de Schuldenaar als dan niet / ſo zalmen hem vangen ende geben hem den Klager in de hand / die mag hem holden onbehindert ſijne geſonde leden.** *S. B. Lib. VI.* 27.

Ex Tabula Quartâ.

NB. Patriæ Poteſtatis rigor hic receptus non eſt.

Ex Tabula Quintâ.

Agnatus proximus tutelam nancitor.

So waar kinderen zijn / die Voormondſchap bederben / zalmen nemen de naaſten Magen. *S.B. II. art.* 21.

Ex Tabula Sexta.

Si qui in Jure manum conſerunt, ſecundum eum, qui poſſidet, vindicias dato.

Dat recht zal een jeder holden in het beſitt / daar hy in bevonden word. *Omland. III. a. 24.*

Ex Tabula Septima.

Qui furtim nox pecu endo alieno impeſcit, &c. noxiam duplione decernito.

So wie ſijne beeſten / met voorrade / by nachten / brengt in eeniges Mans weyde / &c. zal den ſchaden dobbelt beteren. *S. B. V. art. 35.*

Si Quadrupes pauperiem faxit, Dominus noxiæ æſtimium offerto, ſi nolet, quod noxit dato.

So een Beeſt quaad doet / ſo mag de Heere ſijn keur hebben ; ofte hy in handen der gehoonden overgeven wil dat beeſt / ofte boeten na Landrecht. *Omland. Lib. VII. art. 11.*

Ex Tabula Octava.

Ambitus parietis ſeſtertius pes eſto.

De wytte van een Wande is ½ Voets. *Stads Kluft-Ordre. Oml. Land. IV. art. 20.*

Ex Tabula Nona.

Si qui in Urbe cœtus nocturnos concitaſſit, Capital eſto.

So een of meer onbehoorlike vergaderinge beginden / tegens 't gemeene Welvaart / Den zalmen ſtraffen an den hals. *Oml. VII. 27.*

Ex Tabula Decima.

In funeribus omnis circumpotatio auferitor.

So waar dat een Dode begraven word / of is / daar en zullen geene perſonen blyven te eten. *S. B. IX. art. 33.*

Ex Tabula Undecima.

Quod poſtremum Populus juſſit, id jus ratum eſto.

De Stadrechten mag de Raad tot allen tijden hogen ende zijden. *S. B. Lib. I. art. 1.*

Ex

Ex Tabula Duodecima.

Si qui rem, de qua ſtlis eſt, in ſacrum delicaſſit, duplione decidito.

Opdracht van ſaken in recht hangende is krachteloos / boven het verlies derſelver ſake. *Omland. Landr. I. art. 67.*

Atque ex hiſce paucis; ut omittam recentiores Populi Rom. leges cum noſtris componere, ſatis conſtare putem; Romanum fuiſſe, qui primus nobis leges impoſuit, & quidem CORBULONEM, ceu ſolum & unicum, hoc nomine, Annalibus celebratum. Quòd verò Romanorum monumenta alia, heîc rara aut nulla, Tacitus (a) rationem ſubjicit: *Claudium nempe mox novam in Germanias vim, adeo prohibuiſſe, ut etiam præſidia cis Rhenum transferri juſſerit.* (a) XI. An. 19. &c.

Cæterùm hæc de GRONINGA, CORBULONIS MUNIMENTO, fortè & Municipio, præfiſcine dicta acceptaque velim: Ne videar in hoc muſtaceo quæſiviſſe laureolam Patriæ meæ. Quæ, ipſa fuerit nec ne Arx Romanæ Dominationis; Friſicæ Libertatis ſaltem, à multis retrò ſeculis, citra controverſiam eſt. Atque hæc omnis gloriæ ſumma.

XII. Coriovallium.

T*Ransmoſanæ Dicionis* noſtræ locus eſt, qui CORIOVALLIUM & *Coriovallum* dicitur Antonino: Tabulæ verò *Cortovallium*, mendosè procul dubio, I. in T. converſô. Ponitur, utriuſque conſenſû, ab *Atuaca Tungrorum* M.P. XVI., medio ſitû, hanc inter & *Juliacum Ubiorum*, Opida notiſſimæ poſitionis ambo, invicem ad regulam disjuncta M. P. XXXVIII. Certa ſequendi neceſſitate: diſtantiam CORIOVALLII & *Juliaci* eſſe M. P. XXII. quam, uno in loco, ſatis etiam, prodit Itinerarium, peſſimè licet ab inepto Librario corruptum, loco XII. poſcens XXII. uti infra (b) liquidò oſtendetur. Quò proximè itidem accedit, locô aliô, ubi M. P. XXIII. numerat. Atque hinc judicatu facile, locô tertiô, non XVIII. ſed XXIII. V. in X. reformarô, & ſcriptum fuiſſe & legi debere. Nec non in Tabula: unicum tantùm X. pro duobus XX. apparêre: Ut vera ſcriptura fuerit XXII. Porrò Antoninus CORIOVALLIUM inter & *Theudurum* ſeu **Tuddert** / ejuſdem Civitatis Opidum, M. P. XI. diſtantiam facit; de qua pluribus infra: Secundum hæc igitur CORIOVALLIUM planiſſimè eo ſitu eſt, quô hodiè **Heijer** / vicus in valle M. P. IV. à *Trajecto Moſæ*, ex quo, non infeliciter, CORIOVALLIUM fecêre Romani. (b) Ad Theudurum.

Vir Cl. P. Cluverius, ut nobis comprobet *Falcoburgium*, eſſe Romanorum CORIOVALLIUM, fingit nomen nulli unquam au-

ditum CORWALGEN, atque ſeriò contendit, ab hoc factum; Latinè *Coriovallium*: Germanicè verò **Walgenburg**/ abjectô à capite COR & additô in fine BURG. Inter **Valkenburg** & **Walgenburg** autem nullam eſſe, niſi dialecti, differentiam. Inficetum mehercle commentum! Ecquis eſt germanicè ſciens, cui, ab hoc CORWALGEN, ſtomachus (pæne dixeram COR) non nauſeet, id eſt, **Walget**?

XIII. CRUPTORICIS VILLA.

QUo in loco, *Friſii* noſtri, contra utriuſque Germaniæ exercitus; ſolitis auxiliis ſtipatos, obſtinatè in alterum diem pugnando, gloriosiſſimam victoriam, cum claro homine, reportarint, ſupra [a] demonſtratum eſt. Et ſimul quaversùm fugam inſtituerint Romani Milites, qui à Legionibus recipi, & ad claſſem reduci non potuêre. Cognitô igitur; quòd prima nongentorum manus, apud *Holtpadam* ſeu *Lucum Baduhennæ* confecta, ſe fugâ proripuerit rectâ verſus *Caſtellum Flevum*, Romanis armis adhuc infeſſum. (Quòd infra probabitur ad Amnem *Unſingim* fuiſſe, ubi feſſas udaſque Vitellii Legiones, navibus quondam excepit Cæſ. Germanicus) Veroſimillimum eſt; alteram Quadringentorum manum, quæ mutuis vulneribus procubuit ad CRUPTORICIS Stipendiarii VILLAM, uni Tacito [b] memoratam, eodem conſiliô illuc in fugam ſe dediſſe. Eſt autem Vicus, hoc tractu, in Opſterlandia, qui VILLAM CRUPTORICIS nomine pænè refert **Hem-Rijk** dictus, quaſi **'t Heem van Rike**/ id eſt, VILLA RICIS, retento tantùm nomine **Rijke**/ *Friſiis* hodiè non infrequente, & omiſſo priore, quod homini Friſio prænomen fuiſſe potuit; **Crabbe** ſcilicet, aut **Grebber**/ vel ſimile, his locis non incognitum, vel cognomen, à vitio corporis attractum: Ut appellatus fuerit, vel **Crabbe Rijks**/ ſeu **Grebber Rijks**/ ſuo & Patris nomine; uti apud nos fieri aſſolet, vel **Kruppele Rike**/ à claudicatione, ex vulnere fortè, propter quod merere non ultra valuit; ideoque Tacito dictus, *quondam Stipendiarius*.

(a) Ad Baduen. L.

(b) IV. Ann. 73.

Omnia autem Virorum nomina Germanica in IC. vel ICH. mutare, in IX. vel ICUS, Romanis in more poſitum fuiſſe ſatis conſtat, in primis C. Julio Cæſari. Quicquid ſit; tum ratio arrepti Itineris & loci ſitus; tum vocabuli ſignificatus & affinitas, hunc vicum **Hem-ric** eſſe ipſam CRUPTORICIS VILLAM pæne perſuadent. Disjunctus enim eſt à *Luco Baduhennæ*, rectâ *Unſingim* verſus, VIII. M. P. circiter: Ab ipſo autem *Unſinge* ultra XX. M. P. Quod iter, cùm per anguſtos paludum tramites erat conficiendum; meritò metuebant, ne proditi, ab armatâ & furente plebe ruſticâ, circumvenirentur. Quæ cauſſa fuit, quòd mutuis vulneribus procumbere maluerint, quàm à Barbaris, veluti pecudes ad Aram, per ludibrium, mactari, cum ſummâ Romani nominis ignominiâ.

D.

D.

I. Domitii Pontes Longi

ſeu Trames aggeratus.

L. Domitius Vir nobilis, ac, ſuper vetuſtatem generis, Auguſto, proximâ affinitate, junctus, Neronis Avus; Poſt Druſum & Tiberium, Germaniis Præfectus; exercitu, flumen *Albim* tranſcendiſſe longiuſque penetraſſe, quam quiſquam Priorum, Tacito ([a]) narratur. Et quô faciliùs procederet expeditio, adinveniſſe compendia viarum, tramite anguſtô, aggeratô, vaſtas inter paludes, campoſque gravi cœno fallaces, aut rivis foſſiſque incertos: Cui PONTIUM LONGORUM nomen tributum. Hodiè paſſim **Voorden** & **Beſchoten Wegen** vocamus, id eſt, *Tramites* & *Vias aggeſtas*. *Trentones* (*Friſiorum* portio ſunt, à tripartita poſtmodùm Diœceſi *Tranſiſaland*, ſic noviter appellati) ſimpliciter **Dijken**/ id eſt, *Aggeres*.

(a) IV. Ann. 44.

Hos autem PONTES LONGOS inter *Bructerorum* & *Friſiorum* paludes potiſſimùm, ſtruxiſſe L. Domitium; tum ex ejus itinere, ſueto Romanis, à *Rheno* in *Viſurgim* ducentibus; tum maximè ex A. Cæcinæ itu & reditu inter *Rhenum* & *Amiſiam*, utraque Germanici expeditione in *Cheruſcos*, præclarè innoteſcit ([b]). Cæcina enim Legiones, Cohorteſque duxit ex hibernis Ciſrhenanis per *Bructeros*, ad lævam *Amiſiæ* ripam *in Friſiis*, ubi Pedes, Eques, Claſſis convenêre, unà in dextras terras tranſponendi. Reductô autem exercitu ad eundem *Amiſiæ* locum; Idem Cæcina, qui ſuum ducebat militem, regredi juſſus, notis itineribus, quibus venerat nempè: PONTES LONGOS DOMITII, alicubi vetuſtate ruptos & autumnalibus pluviis fœdos, tantô diſcrimine ſuperare neceſſum habuit. Ex quibus ſanè perſpicuum eſt, aggerati illius tramitis partem, fuiſſe inter paludes, vaſtas, ſi quæ uſquam, *Amſibarios* & *Bructeros* à *Friſiis* ſeparantes, agnoſcente Lipſio ([c]); Ubi hodiè **Boertange**/ **Valterdijk**/ **Roevoorden**/ nec non inter alias minores in ipſis *Bructeris*, ubi **Lichtevoorde**/ **Brevoorde**/ **Walvoorde**/ **Lankvoorde**/ &c: in quibus Cæcina, à Germanis, qui infeſto agmine *Gallias* petiiſſe dicuntur, haut dubie circumventus, non minore gloria quam difficultate pugnavit. Atque hoc tramite ab *Amiſiæ* ripa, adverſa *Chaucis*, ibi in commilitium aſcitis, rectâ tenditur ad *Vetera Caſtra*, hiberna Quintanorum ac Unaetviceſimanorum, quos Cæcina unà cum Primanis & Viceſimanis reduxiſſe, diſertis verbis, à Tacito ([d]), aſſeritur.

(b) I. An. 60-69. II. An. 5-8.23.

(c) In Not. ad c. 64. Ann. I.

(d) I. An. 31. 45. 64.

Quin ejuſdem generis Pontes, trameſque in *Chamavis*, *Angrivariis*, *Dul-*

Dulgibinis, aliiſque Populis inter *Amiſiam* & *Viſurgim*, per quos erat tranſeundum, à Domitio ſtructi quoque fuerint, minimè quidem dubitandum arbitror. Pugnatum tamen fuiſſe prope *Rhenum* in *Bructeris minoribus*, quorum vindictam in itu ſic ſatis provocaverat Cæcina, ex dictis æquè certum puto.

II. DORESTATUM.

HOc vocabulum nulli Scriptorum, qui, Rom. Imperio apud nos valente, aliquid litteris conſignarunt, dictum proditumve: Inter locorum antiqua inſerendum tamen duxi, ex numulis aureis, Maximiliano in *Batavis* principatum obtinente, apud *Vorburgium* celebre quondam Caſtrum, jam vicum, Romanis FORUM ADRIANI appellatum, effoſſis, una cum aliis haut dubiæ antiquitatis monumentis, Hadriano Junio viſis perſpectiſque (e). Quibus inſcriptum ab adverſâ parte ELINUM, ab alterâ DORESTATUM. Et Guilielmus Heda Rerum Ultrajectinarum Scriptot non ignobilis refert (f); inter eadem monumenta fuiſſe & numos æreos, argenteos, aureos cum inſcriptione AURELIANI, modò vera ſit lectio. Unde conjecturâ fit, Aureliano Aug. ſaltem imperante, DORESTATI nomen, loco *Batavoduri*, jam olim receptum, neque id noviter confictum eſſe à recentioribus Annalium noſtrorum conditoribus Latino-barbaris, quibus perpetuum eſt; Dureſtat ſeu Duurſtede vocare DORESTATUM vel DORESTADIUM. Loci ſitus & conditio, ex dictis ad *Batavodurum* repeti & cognoſci poterunt.

(e) Bat. c. XIIX. pag. 314.

(f) In Vit. Hungeri.

III. DRUSI MOLES.

RHenus haut longè infra planiciem, per quam Druſus novum amni alveum aperuit, tertiumque Oſtium quæſivit, quod deinceps *Flevum* & *Orientale* Veteribus dictum, perpetuis collibus ad ripam Germanicam obſidetur, inde ab *Arnhemo* hodiè Urbe ampliſſimâ, ad *Amerongam* vicum non ignobilem; ſi demas exiguam intercapedinem *Nodam* Majoribus (a), Grebbe nobis appellatam, quà montes infra *Wageningam* longiuſculè recedunt. *Rhenum* ergò, hoc quidem tractu, numquam navigarunt, qui Taciti ævo, ſiniſtrum fluxiſſe *Arnhemo*, *Vageningæ*, *Rhenæ*, ſic ſatis imperitè aſſerere auſi ſunt. Ita enim à rerum naturâ conſtitutum eſt, ut hæc loca, ab omni ævo, ad ripam dextram fuerint, manſuraque ſint dum *Rhenus* erit. Infra *Rhenam* Trajectinæ dicionis opidum hac parte ſupremum, duobus milliaribus p. m. ubi pertenuis viculus Remmerten in promontorii capite, Colles, hactenus in Occidentem, ſecundum *Rheni* ripam porrecti, ſubitò in Septentriones excurrunt; mox in Corum, uſque ad Levedal ſeu *Levavallem*; hinc rurſus in Occidentem, ad *Amerongam*, amne ubique Comite; ſed magis pronô in *Gallias*: Humilibus campis & duro in Septentriones flexu

(a) Beca. Heda Buchel. A. Matth.

flexu pariter invitantibus; ut, perforatâ ripa Gallicâ, contra fluvii impetum haut ſatis valida, inſtitutus in Occidentem curſus porrò continuaretur. Ex quibus perſpectu facile eſt, qua de cauſſa, & quo in loco DRUSUS excitarit MOLEM, quæ *Rhenum*, pronô alveô in Gallias ruentem, veteri contineret.

Tacitus ([b]), cui uni hanc deſcriptionem debemus, locum eâ in parte Inſulæ collocat, quà, venientibus à *Batavorum Opido*, proximè intratur; Cui & viculus noſter **Hemmerten** ab altero latere imminet: Igitur ex adverſo ejuſdem, ubi *Rhenus*, in Gallicam ripam ruens, gurgitem haut dubiè jam excavarat, maximè opus fuit munitione; nè aliquando violentia fluminis, nimiô impetu perrumperet. Atque hoc principium operis: Ut Gurges ille, circumjecto aggere ſudibuſque præfixis, precluderetur. Quod à DRUSO effectum reor: Cæterùm, cùm *Rhenus*, quamdiu in Septentriones & Corum ferebatur, præcipitem reditum in Occidentem, per humentia ſalicta, ubique minari viſus fuerit, aggerem eò proferre, eundem quidem Druſum inſtituiſſe Ann. V. C. DCCXLV., id eſt, vitæ ſuæ ultimô, ſecundùm Dionem ([c]). Sed Paullinum Inferioris Exercitus Legatum, ſexageſimum ſextum (non *tertium* uti vulgò legitur) poſt annum, V. C. DCCCXI. eôdem Tacitô ([d]) narrante, demùm abſolviſſe, omninò credendum eſt. Cl. Civilem denique hinc annos duodecim, id eſt, V. C. DCCCXXIII. disjeciſſe MOLEM, quam DRUSUS gurgiti circumduxerat. Atque ſic abegiſſe amnem, in illum alveum, cui hodiè *Lecca* nomen, nemini dubium fore opinor, cui, locum ipſum diligentiùs perſpexiſſe, operæ precium fuerit viſum.

(b) V. Hiſt. 19.

(c) Lib. LV.

(d) XIII. An. c. 53.

E.

I. EDITA inter Amiſiam & Unſingim.

NOtum eſt ex Taciti Annalium Primo; Cæſarem Germanicum, primâ expeditione in Cheruſcos, ſuperioris Exercitus Legiones II. XIII. XIV. & XVI. cum Decem Millibus Auxiliorum Socialium, ad (a) c. 37. 53. 60. *Amiſiam* claſſe advexiſſe ([a]) : Moxque, reductô ex *Cheruſcis* exercitu (b) c. 63. univerſô, eaſdem, uti advexerat, reportaſſe ([b]). Niſi quòd Legionem II. & XIV. ab *Amiſiâ* ad *Unſingim*, duxerit P. Vitellius itinere terreſtri, quod, ſiccâ quidem humô, facile confici potuit citra pernoctationem. Cæterùm, cùm eo die Sidus Lunæ in ortu primo erat ab æquinoctio autumnali, quô *Oceani* æſtus totô annô maximus, Nautis noſtris Herfſt-Spring / vel Grote-Spring, inexpectato inſurgens Aquilo (ita vocaſſe videtur ventum aliquem Sepientrionarium, non ſpeciatim illum, qui Africo contrarius atque huic littore proprius.)] Friſicæ oræ infeſtum, terras ſubitô opplevit aquis, quæ brevi agmen rapuêre, & tam ærumnoſum in modum agitarunt; ut ſummô diſcrimine in EDITIORA eniti, fœdiſſimamque noctem, ſine igne, ſine cibariis tranſigere debuerint miſerabiles Legiones : Propè adeò ab *Unſingis* fluento, ut eò penetrarint, quam primum lux terram viſendam reddidit, ſub longiſſimo fortè Maris receſſu : totis itaque horis XXIV. poſt diſceſſum ab *Amiſia* : A qua tamen Statione, illam *Unſingis* oram vix XVI. M. P. abeſſe ſatis apertum eſt. Germanicum autem, qui claſſe præiverat cum duabus aliis Legionibus & Auxiliariis, ante exortam tempeſtatem, eodem perveniſſe, ex ipſa narrationis ſeriè luculentiſſimè conſtat. Nec adeò difficile collectu eſt, ubinam hæc EDITA? nempè eò loci, ubi hodiè vicus Leens / editiſſimo circumquaque in ſolo, ad quingentos paſſus à portu, in quo Vitellius à Germanico claſſe receptus memoratur; ipſo vocabuli ſignificatu hujus rei fidem faciente. Loo enim, ſeu Lee / linguâ noſtrâ EDITUM indicare, præter innumera loca ejuſdem nomenclaturæ, modus loquendi op 't Lo & op de Loën / id eſt, ſuper Editum vel EDITIORA, hodieque uſitatus, indubitatum omnino facit. Loën & Leën ſeu Leëns ergò, ſunt EDITA, Germanis ita appellata, licet adhuc inculta & inhoſpita; uti tum hæc noſtra Leëns / Tacito fortè, Germanica Latinè explicare docto, ſub hoc nomine non ignorata.

II. ELI-

II. Elinum.

IN ſolis numulis, quos apud *Vorburgium* repertos dixi (a) extat nomen ELINUM. Heda & Junius *dd. ll.* teſtantur ſe vidiſſe in agro Vorburgiano, veſtigia, ruinas & ſubterraneas ſubſtructiones amplisſimi circuitûs, quæ Arcis ELINI eſſe, celebris in ore hominum fama, ſed fabulis miſta, ad poſteros vulgavit. Cujus Arcis Ille quidem Aurelianum Auguſtum conditorem facit, ductâ conjecturâ, ab inſcriptione AURELIANI in numis ibi repertis: Cùm tamen ſatis conſtet ex Vopiſco, Aurelianum, poſt Legionis VI. Gallicanæ Tribunatum, nunquam in hæc loca rediiſſe. Unde mihi ſuſpicio oboritur; in Numis, non AURELIANI ſed AURELIANT. id eſt, Aurelii Antonini ſcriptum fuiſſe: Cujus nempe Imperatoris etiam meminit lapis milliarius XII. M. P. à *Vorburgio*, ad vicum Monſter repertus. Facilè enim fieri potuit; ut adeſis non nihil I. longô & T. litteris, reliquis omnibus planè extritis, quarum quippe mentio nulla, aliter Inſcriptionem AURELIANI legere, non ita integrum fuerit. M. Aurelius namque ab Antonino Pio adoptatus, nomen *Antonini*, immò & *Ælii* (b) ſuo quoque aſſcripſit. Uti & ipſe Antoninus Patris ſui Adoptivi, ÆLIUS HADRIANUS (c).

(a) Ad Dorestat.

(b) M. Smet. Inſcr. f. IV. 5.

(c) Grut. Inſcrip. pag. CCLIV, & CCLIX. 9. 10.

Multo igitur veriſimilius eſt, Marcum Imperatorem *Adriani Forum*, in honorem Patris Avique amplificaſſe, eidemque ab Adriani gentilitio, nomen ÆLIUM quoque impoſuiſſe; quam id factum ab Aureliano Auguſto, cui Adrianus & Antoninus nec beneficio nec injuriâ cogniti. Neque inſolens videri poteſt nominis & cognominis in talibus concurſus. Sicuti enim Trajanus, *Caſtra*, *Legionem*, *Coloniam*, ULPIAM TRAJANAM pridem vocari voluit: Ita Marcus Imperator hoc FORUM ÆLIUM ADRIANUM. Ex quo ELINUM fecit, qui numi formam cælavit.

Atque ex his non parum lucis acceſſurum putem iis, quæ de FORO ADRIANI dicenda ſuperſunt ſuô locô.

F.

I. FLENIUM.

IN Tabula Itinerariâ eſt iter per *Batavorum* agrum, ad utramque *Vahalis* ripam, à *Noviomago* ad *Forum Adriani*, ubi reperitur FLENIUM. M. P. XXX. à *Caſpingio*, & XVIII. à *Foro Adriani*, ambobus locis adeo exploratæ poſituræ; ut circinus hinc & inde ductus, ad Milliarium modum, ejuſdem puncti concurſu verum loci ſitum mathematicè demonſtret. Incidit autem hoc punctum in meditullio *Puttenia Præfecturæ* inſignis. Et licet, in proximo, nullum antiqui nominis veſtigium occurrat, ideo erroris protinus arguendam ſcripturam minimè concedo: Cùm tot locorum vetera vocabula hodiè nuſquam compareant.

(a) G. A. II. 36. fin. Nimium ingenio indulſit Cluverius (a), qui *Flevium* ſeu *Fletiò* non FLENIUM legendum ſeriò contendit: neque hoc ſolùm, ſed numeros, ſuo arbitratu, quoque mutat, locô XVIII., inter *Forum* & FLENIUM, IIII. reponens: Duplicemque numerum, qui XXX. M. P. FLENIUM inter & *Caſpingium* componit, ita tranſponens, ut alter alterius locum ſubeat. Nullâ aliâ ratione ductus, quam ut *Fletionis* ſuæ nomen apud **Fliet** rivum reperiat; ubi nitidiſſima Urbs Delfenſis. Luſiſſe videretur, Vir cæteroquin firmi judicii, niſi hæc ſine dubio vera, diſertè affirmaſſet. Cæterùm ſolenne ipſi ferè eſt, vocum ſimilitudini nimium tribuere.

II. FLETIO.

IN eadem Tabula, eſt & aliud iter, à *Noviomago* ad proximam *Rheni* ripam, &, ſecundum illam, mare verſus; in quo occurrit FLETIO inter *Leveſanum* & *Lauros*, hinc M. P. XII. illinc XVI. Id eſt, ſecundum amnis curvaturas, eò loci, *intra Batavorum Inſulam*, ubi, extra in Friſiorum ſolô, è regione eſt **Fleuten** vicus, eôdem planè vocabulo priſco.

Nec infrequens, ejuſdem nomenclaturæ loca obverſas amnium ripas obſidere. Num verò Batavicæ hujus FLETIONIS incolæ, in Friſicam tranſtulerint ſedes, idoneo authore deſtitutus, nemo jure definiverit. Id tamen certum eſt, lævâ in ripâ priſcum deſiiſſe nomen. Verum autem loci ſitum, ſecundum milliarium numerum, fuiſſe ad *Rheni* anfractum, vulgo **den Krommen Rhijn**/ proximè infra Trajectum.

Sexageſimæ

S C A L A
pro
DIMETIENDIS DISTANTIIS
ad Parallel Ptolemaic. XVII.

item

RATIO VNCIARVM IN ASSE GRADVS.

Numer.	Notæ Græcæ.	Valor.	Partes	Nomina	Sexag. ſive M. P.
1.	ιβ′	*Duodecima*	$\frac{1}{12}$	*Vncia*	V.
2.	ς′	*Sexta*	$\frac{1}{6}$	*Sextans*	X.
3.	δ′	*Quarta.*	$\frac{1}{4}$	*Quadrans.*	XV.
4.	γ′	*Tertia*	$\frac{1}{3}$	*Triens.*	XX.
5.	δ′ς′	*Quarta & Sexta.*	$\frac{5}{12}$	*Quincunx.*	XXV.
6.	∠′	*Semis*	$\frac{1}{2}$	*Semis.*	XXX.
7.	γ′δ′	*Tertia & Quarta*	$\frac{7}{12}$	*Septunx*	XXXV.
8.	γ′ο′	*Duæ Tertiæ*	$\frac{8}{12}$	*Bes.*	XL.
9.	∠′δ′	*Semis & Quarta.*	$\frac{9}{12}$	*Dodrans*	XLV.
10.	∠′γ′	*Semis & Tertia*	$\frac{10}{12}$	*Dextans.*	L.
11.	∠′γ′ιβ′	*Semis Tertia Duodecima.*	$\frac{11}{12}$	*Deunx*	LV.
12.	α′	*Unus Gradus*	1	*As.*	LX.

LATITVDO

CXX. CXV. CX. CV. C. XCV. XC. LXXXV. LXXX. LXXV. LXX. LXV. LX. LV. L. XLV. XL. XXXV. XXX. XXV. XX. XV. X. V. O V. X. XV. XX. XXV. XXX. XXXV. XL. XLV. L. LV. LX.

L O N G I T V D O.

5 10 15 20 25 30 35 40 45 50 55 60 65 70 75 80 85 90 95 100 105 110 115 120 125 130 135 140 145 150 155 160 165 170 175 180 185 190 195 200

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

III. FLEUM OPIDUM: quod & FLEVUM CASTELLUM.

CLaudius Ptolemæus ([b]) inter plurima Germaniæ magnæ Opida, ultra *Rheni* oſtium orientale, primô locô recenſet FLEUM; Tiberiô Imperante Caſtellum tantùm, Tacito ([c]), ni fallor, FLEVUM dictum. (b) Geog. II. c. 11. (c) Ann. IV. 74.

Norunt omnes immane quantum aberrarit hic Geographus, aliàs omni laude major, in veris Graduum ac Sexageſimarum numeris, cuique loco utriuſque *Germaniæ* noſtræ, in longitudine & latitudine, aſſignandis: Senſim abreptus, ductû Itinerariorum & relatû Peregrinatorum, quibus ſoli viarum flexus & reflexus in cenſu, parallelorum & meridianorum ratio nulla. Unde tanta aberratio in remotiſſimis exoriri neceſſariò debuit. Quæ tamen exigua aut nulla eſt; ſi inter loca invicem ſibi proxima ineatur diſtantiæ ratio. Neque enim hactenus multum refert; verane an falſa longitudo aut latitudo utrobique ſit poſita, modò ex æquo falſa: Ut proinde eadem, tam veræ quàm falſæ, calculi collectio proveniat. Quò igitur magis in promptu ſit; ex differentia longitudinis & latitudinis inter duo loca vicina, veram eorum diſtantiam componere: ſequentem Scalam ſubjicere, operæ precium viſum fuit; unâ cum unciarum notis in Aſſe Gradûs. Quæ uſus in Ptolemæo perneceſſarii ſunt, ſaltem in meridianis, tranſeuntibus per Parallelos elevationis noſtræ: Neque latitudinis gradibus, necdum tribus, coarctatio Meridianorum tanti eſt, ut notabiliter officere poſſit milliarium ſupputationi, tantillô terrarum ſpatiô, cui hæc opera impenditur. In aliis meridianis, qui Auſtro propiora Climata percurrunt & in gradus multo plures aſſurgunt, ſubindè ſexageſimarum dilatatione omnino opus erit; atque adeo novâ Scalâ.

USUS HUJUS SCALÆ.

Figatur circini pes alter in differentia Latitudinis, ducaturque alter per punctum differentiæ, quæ eſt in longitudine, ad lineam ultra triangulum procurrentem: Et veram diſtantiam, quæ eſt inter utrumque locum quæſitum, utriuſque pedis divaricatio demonſtrabit. Hoc tamen obſervandum; ut loca ſibi invicem proxima tantùm comparentur: Si enim medius tranſiliatur, calculus non, niſi caſu, poteſt eſſe juſtus. Quia Ptolemæus hîc, ex ſola conjectura, gradus effinxit, pro diſtantiâ, quam inter duo loca proxima cognovit. Igitur à proximo ad proximum continuò progredi oportet, nullô prætéritô.

Exemplo ſint Septem illa Oſtia, quibus ſolis intrabatur Germanicus Oceanus, in *Taxandris*, *Batavis*, & *Friſiis*, ætate Ptolemæi. Hiſce theſibus;

OSTIUM.	*Longitudo.*		*Latitudo.*	
	Gradus.	*Minutiæ.*	*Gradus.*	*Minutiæ.*
I. - - - MOSÆ - -	24.	40.	53.	20.
II. - - - - - RHENI Occidentale	26.	30.	53.	20.
III. - RHENI Medium	27.	0.	53.	10.
IV. - - - - - RHENI Orientale.	28.	0.	54.	0.
V. MARNAMANIS. P.	28.	0.	54.	35.
VI. - VIDRI - - - -	28.	30.	55.	0.
VII. - AMASII - -	29.	0.	55.	20.

Vulgatæ editiones Ptolemæi, per omnia quidem, nec inter ſe, nec cum hac poſitura conveniunt: Sed errorum manifeſtæ indiguerunt emendatione.

Secundum enim, quia maximè occidentale in *Batavis*, eô locô reponendum fuiſſe, quo in vulgatis conſpicitur *Lougodeinon*, nemini dubium eſſe poteſt, propter continuum progreſſum ab Occidente in Orientem: Cùm aliàs extremô ad occidentem, Batavorum limite, occidua magis foret *Lougodeinon*, quod dictu abſonum.

In *Tertio*, Latinus Interpres habet 10. & rectè quidem: licet in quodam Codice Græco exſtet 𝔏. id eſt 30.

Deinde Librarii ſæpiuſculè lapſi ſunt in Notis Unciarum γ. & 𝔏; alteram alterius loco præproperè exarantes; uti videre eſt in *Quinto*, ubi 𝔏δ. pro γδ id eſt, 45. pro 35. reperitur.

In *Sexto* ſurſum arrepſit nota γ. id eſt, Triens ſeu Sexageſimæ viginti, quam progreſſus ab Auſtro in Septentriones præclarè demonſtrat ad *Septimum* lineæ ſubjectæ pertinere. Ex quo ipſo progreſſu, liquidum ſimul eſt, inſtituta collatione ad *Quintum*, pro Gradibus ν̄δ. id eſt, 54. legendum eſſe ν̄ε. id eſt, 55.

Cæterùm cùm Ptolemæus, ob rationem jam dictam, longitudinis & latitudinis veras theſes, hiſce in oris, aſſequi minimè valuerit: Id ſaltem operam dedit, ut ex conjectura ederet ejuſmodi, ex quibus vicinorum locorum diſtantia, quam perceperat, rectè colligitur. Ut ecce;

OSTIUM.

OSTIUM.	*Longitudo.*		*Latitudo.*	
	Gradus	1/60	*Gradus*	1/60
Moſæ	24.	40.	53.	20.
Rheni Occidentale	26.	30.	53.	20.
	Differentia	110.		0.
	Diſtantia verſus ortum M. P. LXV.			
Rheni Occidentale	26.	30.	53.	20.
- - - Medium	27.	0.	53.	10.
	Differentia	30.		10.
	Diſtantia ſecundum Scalam M. P. XXII.			
- - - Medium	27.	0.	53.	10.
- - - Orientale	28.	0.	54.	0.
	Differentia	60.		50.
	Diſtantia	M. P. LXII.		
- - - Orientale	28.	0.	54.	0.
Portus Marnamanis	28.	0.	54.	35.
	Differentia	0.		35.
	Diſtantia	M. P. XXXV.		
P. Marnamanis	28.	0.	54.	35.
Vidri - -	28.	30.	55.	0.
	Differentia	30.		25.
	Diſtantia	M. P. XXXI.		
Vidri - -	28.	30.	55.	0.
Amaſii - -	29.	0.	55.	20.
	Differentia	30.		20.
	Diſtantia	M. P. XXVII.		

Atque ex his planum eſſe putem, quo ſitu hæc Oſtia fuêre, ætate Ptolemæi: Sed de ſingulis ſuo loco.

Reſtat veram FLEI poſituram ex dictis demonſtrare: exploratâ enim theſi Oſtiorum duorum, quæ proximè vicina, *Marnamanis* nem-

pe & *Vidri*, aſſeritur ſimul FLEI ſitus; correctô prius errore Librariis ſolenni, quô rurſus 𝔷 pro γ', bis exſcripſiſſe videntur, & edidiſſe 45. pro 35.; Ut FLEI theſis, ſic reſtituta; hæc ſit;

	Longitudo		*Latitudo*	
	Gradus	ɀ.	*Gradus*	ɀ.
Flêum	28.	35.	54.	35.
Marnamanis	28.	0.	54.	35.
Differentia		35.		0.
Diſtantia		M. P. XX.		
Rurſus Flêum	28.	35.	54.	35.
Oſtium Vidri	28.	30.	55.	0.
Differentia		5.		25.
Diſtantia		M. P. XXV.		

Ex quibus ſequitur, per mathematicam demonſtrationem; Ptolemæi Opidum *Flêum* & Taciti Caſtellum FLEVUM eò loci ferè fuiſſe, ubi hodiè & nomen exſtat, vel in **Dißflict** ad rivum **Lauwers** / vel in **Flieborp** ad amnem *Unſingim*: haut multum enim ab utroque aberrant circini. Nolim tamen pertinaciter repugnare, ſi quis vulgatam lectionem 45. pro 35. retinendam contendat. Et tum fiet circinorum concurſus parte aliquâ ſuperiore *ad Unſingim*, haut procul Groningâ noſtrâ: Quod jam altero abhinc ſeculo, nonnullis placitum fuiſſe video. Quamcunque denique ex variis lectionibus, etiam circa alia loca, ſequi quis voluerit; FLEUM, intra rivum **Lauwers** & Amnem *Amiſiam*, ſemper continebitur. Nimis autem aberrant, qui, Cluverii, haut ſpernendam aliàs, authoritatem ſecuti, Veterum nullo Duce aut Comite, FLEUM noſtrum (quod rectè quidem unum cum FLEVO Caſtello faciunt) ad Orientale Rheni Oſtium *Flevum*, hactenus quæſiverunt. Cùm Ptolemæo inter Oſtium illud & Opidum ſive Caſtellum hoc, ingens ſpatium intercedat; Er quidem, ſi vulgata lectio utrobique retineatur, M. P. LII. ſi emendata præferatur, XLI. atque huic, ut præ omnibus aliis inhæream, valdè me ſollicitant; tum Apronianorum fuga, Unſingim verſus directa (uti oſtenſum *ad Baduhennam & Cruptoricis Villam*) tum etiam appulſus Germanici Cæſaris cum claſſe; Et Vitellii cum Legionibus, ad eundem *Unſingim*, de quo ad *Amiſiam Opidum* & *Edita*, &c. hactenus ſatis dictum arbitror, & reliqua dicentur ſuo loco.

Cui volupe eſt hoc Augiæ ſtabulum, citra ultraque, rurſum prorſum, purgare;

purgare; hiſce ſcopis, ſi commodæ videbuntur, in everrendo, uti poterit.

IV. FLEVO INSULA.

EX Veteribus unus P. Mela (a), Claudio Imperatori æqualis, nobis deſcripſit, in dextro *Rheni* alveo, quem ſcilicet Druſus perfodit, INSULAM, FLEVO dictam: Ejuſdem ſitum collocans, inter illum locum, quo *ripis longè lateque recedentibus, anguſtus amnis fit ingens lacus*, Et alterum, ubi *iterùm arctior, iterumque fluvius*, è lacu *emittitur*. De priore minus dubium, quin ſit circa Opidum hodiè clarum nomine **Campen**. De poſteriore quidem non eadem, ſuperioris & noſtri ævi ſcriptoribus ſententia eſt. Dixerit quiſque, quodcunque placuerit, ſuo periculo. Certum mihi eſt, fluvium iterum arctiorem, è Lacu olim emiſſum, fortè, à natalibus Druſinæ abactionis, ad Principatum Arnulfi & ultra, eò loci, ubi hodiè *Lemmeria* & *Comma Taconianum*, vulgò **Lemmer** & **Takezijl** aditum præcludunt; ſicuti mox ad *Flevum fluvium*, item *ad Stúrios*, & denique Parte II. *ad Chimelofaram*, ſi D. O. M. cum vita jucundum otium à curis publicis privatiſque indulſerit, liquidò demonſtrabitur. (a) Lib. III. c. 2. fin.

Fuit igitur hæc Inſula, eodem ſitu, quo nunc duæ minores **Ens** & **Urk**/ quas latè ambitû continuas fuiſſe credendum eſt, ætate Melæ. Inferior enim ad amuſſim reſpondet ſinui Taconiano in *Himelofariana Præfectura* ſeu **Hemelumer Olde Faarſteradeel**. Miraret ſanè, quî magnus Cluverius (b) à Regio Geographo Ortelio, hunc etiam ſitum ſtatuente, diſſentire potuerit; niſi in aprico eſſet, quòd vocum ſimilitudine, qualis eſt inter *Flevonem* & **Flieland**/ mentem haut rarò occupatam, dirigere in veram rationem, juſto minus allaborarit, in hoc maximè intentus, quî præconceptæ opinioni veri quandam ſpeciem conciliaret. Contendit prætereà idem Author; in ſcriptis *Melæ, Plinii, Taciti*, non FLEVO & *Flevum*; ſed *Fletio* & *Flêum*, ubique eſſe legendum: Quia ſcilicet à **Fliet** & **Flie**/ voces, Romano ore, formatas, extra controverſiam ſit. Mihi religio eſt, contra ſcripturam adeò conſtantem nullique dubiam, quicquam mutare. Et ſatis benè nobiſcum actum putarem; ſi Romani Germanicam originem nuſquam magis obſcuraſſent. (b) G. A. III. c. 18.

V. FLEVO LACUS.

RHenus, iterum, operâ Druſi, per *Sala* alveum, abactus, rapto ſecum *Vectitâ Bructerorum* amne, humiles campos, quibus jam pluviarum copia ſuperſtagnabat, æternum in Lacum convertit. Huic nomen FLEVO, unicus etiam Mela (c) tribuit, indictum Plinio & Tacito, licet hîc Lacus agnoſcant ambo. *Melæ* vocatur, *ingens Lacus*, (c) L. III. c. 2.

cus, quem, longè ac latè recedentibus ripis, effecit Rhenus, ubi campos implevit, qui fuére inter *Auchos*, *Friſiabones*, *Sturios* & *Friſios ulteriores.* Oppidò longè receſſerunt ripæ; nempe in *Friſiabones* M. P. XXX. In *Sturios* XX. Et magis etiam latè XL. P. M. à *Friſiis ulterioribus* in *Auchos. Sinus* autem *Oceani*, qui hodiè, inter Enchuſana brevia & Taconis cataractas, hoc Lacu continuatur, recens eſt, intra annos quingentos proximos demum natus.
(d) N.H. IV. 15. *Plinius* ([d]) *Lacus* non *Lacum* dixit, in quos *Rhenus* ad Septentriones ſe ſpargit.
(e) G.c.34. Et *Tacitus* ([e]), *Lacus immenſos* vocavit, quos *Friſii*, jam dicti, ambiunt: Ambo, eodem intuitû, plurali numerô uſi. FLEVO enim Lacus, per Inſulam ejuſdem nominis & promontorium ab Enchuſâ longiſſimè procurrens vulgò 't Enchuyſer-zand/ in duos planè dividitur. Optimè igitur convenit omnibus de hoc *Rheni Lacu, Lacubuſve.* Accolæ jam olim, ante ſinum ab *Oceano* factum, Zuyder-zee appellarunt: Et hodiè quoque, eôdem nomine, à ſinu diſtinguunt; licet idem ab imperitis, utrique ſimul tribuatur.

VI. FLEVUM OSTIUM.

Oſtium, per quod *Rhenus* Orientalis, in *Flevonem* Lacum longè lateque ſparſus, iterumque arctior emiſſus, Oceano tandem affunditur, ſolus Plinius ([a]) FLEVUM nominavit; Ptolemæus ([b]) à plaga tantùm ab aliis diſtinxit; RHENI ORIENTALE id vocans.
(a) H. N. l. IV. c. 15. (b) Geog. II. c. 11. Ille inter FLEVUM & *Helium* propè C. M. P. numerat. Hic inter ORIENTALE & *Occidentale* LXXXIV. tantùm. Uterque æquè probè ac propè de unis iiſdemque Oſtiis. Si enim circum littus, à *Flevolandiæ* Inſulæ orâ orientali, ad *Stalodunum*, fiat ambitus, deprehendentur C. M. P. paucis minus. Si, rectâ lineâ hinc, inde ducatur, LXXXIV. paucis amplius. FLEVUM itaque OSTIUM fuit ætate Plinii & Ptolemæi, ubi etiam hodiè eſt, inter *Flielandiam* & *Scellingiam* Inſulas. Quæ enim in præſentia, utrimque ad *Teſſaliam*, conſpiciuntur Oſtia, *Oceanus* poſt multa demum ſecula ſibi aperuit.

VII. FLEVUS FLUVIUS.

Rhenus tres alveos nactus, proprium cuique nomen aſcivit. *Medius*, per excellentiam, meritò ſibi priſcum retinuit. *Siniſter*, *Vahalis* cognominatus. *Dexter*, principio, *Foſſæ Druſianæ*, mox *Salæ* nomen cum aquis recepit, deinde in Lacum ſparſus, & iterum arctior emiſſus, ad Oſtium uſque, FLEVI cognomentô haut dubiè diſtinctus fuit. Ubi igitur Lacus eſſe deſiit & iterum fluvius eſſe cœpit, donec in *Oceanum* effluat, FLEVUS fluvius dici debuit; Licet Veterum nulli totidem verbis memoratus; ſed ſemper cum quadam circum-
(c) Lib. III. c. 2. fin. ſcriptione. *Mela* ([c]) enim dicitur; *Dexter Rhenus, arctior Lacu emiſſus.*

emiſſus. *Plinio* ([d]); *Rhenus ab Septentrione in Lacus ſe ſpargens*, *cujus Oſtium Flevum.* *Tacito* ([e]); *Rhenus*, *poſt Foſſam Druſianam*, *in Friſios per Lacus ducens.* *Ptolemæo*; *Rhenus Orientalis.* Hæc ſanè Orientalis pars, quæ eſt inter *Flevonem* Lacum & *Flevum Oſtium*, FLEVI appellationem ut plurimum hodiè ſervat, ſcilicet **Het Langevliet**/ **'t Oude Vlie**/ vel ſine attributo **'t Vlie.** Tantùm inter ingentem illum Lacum & Minores proximos, *Rheni* appellatio ſupereſt: Neque adèo in obſcuro, ut plerique autumant, vetus hic FLEVI ductus. Quod enim ex *Flevone* Lacu arctior fuerit emiſſus ad hodiernum **Takezijl** & *Lemmeram*; *Rheni* nomenclatura, quæ & hîc viget; & illic rivo *Ea* promiſcua eſt, ſatis evincit: eodem nomine adhuc notus inter utrumque *Lacum Slotanum*, ubi fretum intercedens **Rhijn-ſloot** vocatur. *Slotanum* majorem permenſus, arcuatô flexu M. DC. circiter paſſuum, *Lacum Haganum* intravit, ad vicum pertenuem **Indijk.** Et hoc ſuperatô, paſſibus quingentis infra vicum **Gaſmeer**/ curſum rectà in hibernum occaſum direxit FLEVI nomine, incolis **'t Langevliet**/ ad illum locum, ubi hodiè *Worcumum* Opidum, quondam *Orientale* dictum, ad diſtinctionem alterius *Worcumi Occidentalis*, jam fluctibus hauſti; cujus tamen nomen in brevibus reſiduis ſupereſt V. M. P. infra Opidum orientale. Atque hinc, in meridiem verſo curſu, mox auſtralem & occidentalem oram illius terræ, cujus brevia **Breezand** vocantur, alluit longo circuitu, nautis **'t Oude Vlie** dicto, ut diſtinguatur à novô FLEVO.

> (d) Lib. IV. c. 15.
> (e) II. An. c. 8.

Unde conſequens eſt, recentiorem hunc alveum, poſt Romanorum tempora, demum perrupiſſe in alterum ab antiquo cognitum, viâ rectâ ſibi patefactâ, à Worcumo occidentali Septentriones verſus; Atque deinceps unà fluxiſſe inter **Schieringshals** & **Langerzand** ad *Flielandiæ* oram, in ortum prominentiſſimam, ubi Oceano miſcentur, per illud ipſum Oſtium, quod antiquitas FLEVUM dixit, præſenti longè arctius & planè impar.

VIII. Fons Aquæ Dulcis Noxiæ.

C. Plinius ([a]) FONTEM quendam in Friſiis ita deſcribit; *In Germania trans Rhenum*, *caſtris*, *in Friſios*, *à Germanico Cæſare*, *promotis*, *maritimo tractu FONS erat AQUÆ DULCIS*, *ſolus*, *quâ potâ*, *intra biennium*, *dentes deciderent*, *compageſque in genibus ſolverentur. Stomacacen Medici vocabant & ſceletyrben*, *ea mala.. Reperta auxilio eſt*, *herba*, *quæ vocatur Britannica*, *non nervis modo & oris malis ſalutaris*; *ſed contra anginas quoque & ſerpentes*, &c. Cæterum quâ parte littoris exſtiterit, nullo indicio prodit; ſcilicet quia ſolus, hâc notâ infamis, deſignatione loci non indiguerit. Et certè minimè indigeret, ſi vel noſtris temporibus eſſet, qui aquam dulcem ſcaturiat

> (a) H. N. XXV. 3.

riat tantâ pernicie. Sunt enim in hac Regione fontes perrari. Vetuſtiſſimus qui celebratur, ſed remotior paullo à mari, eſt **Oldeboorn** *Utingeranæ* Præfecturæ, ſano ſuperſtructo obturatus, ut de aquæ malignitate judicari nequeat. Magis tamen eſt, quòd fuerit haut procul à *Statione Amiſia*, ad quam Germaniciani Exercitus iteratò convenere. Lipſius ([b]) illum rejicere videtur in Weſterwaldios, ad Paludem **Bortange**; propter copiam herbæ Britannicæ juxta naſcentis: Quam ipſi Paludi nomen, *Bretanæ*, non *Burtangæ*, feciſſe autumat: Ideoque legendum; Herbam *Bretanicam* non *Britannicam*. Sed quàm parum ſolida hæc ſint, Accolæ optimè norunt: & utcunque colligi poteſt ex dictis *ad Amſibarios*. Præterquam, quod noxii fontis heîc circum nulla memoria: Et herbæ, quæ Stomacaci medetur, ubique affatim. Aquas quidem paluſtres potu inſalubres, quivis ſuo malo experitur; Verum, quid hæ ad fontanam? Crederem igitur FONTEM Plinii, niſi obturatus fuerit, quia maritimo tractu, vel immerſum eſſe vadoſo Mari, vel novi ſinus voragine hauſtum.

(b) Not. ad. Tacit. l. Ann. c. 63.

IX. FORUM ADRIANI.

IN ſola Tabulâ Itineraria memoratur FORUM ADRIANI; tractu maritimo, inter *Rhenum* & *Vahalem*, M. P. XII. à *Lugduno*: uti quidem lectum fuit Chalcographo; ſed haut dubie oſcitanter. Quoniam ex illis, quæ dicta ad ELINUM, appareat, FORBURGIUM & nominis & ruderum veſtigia repræſentare: Quod tamen, ultra M. P. VII., Lugduno non abeſt. Præterquam quod M. P. XII. non ferat reliquum itineris. Nec *Columella Milliaria* M. P. XII. à *Forburgio*, prope *Moſæ* & *Valis* commune oſtium reperta: In qua FORI mentionem detexit P. Scriverius ([c]) Vir peracris judicii, eandem nobis exhibens hâc formâ & inſcriptione, quâ, ſuo tempore, in Villa Perſinia Hagæ propinqua, viſebatur.

(c) Tabul. Ant. Bat. pag. 214.

Ultimas autem ſeptem notas ſingularius, idem Scriverius ita reſolvit;

A. MUNICIPIO. AD. FORUM. CONSTITUTA.
MILLIA. PASSUUM. XII.

De foro non minùs verè, quam ſolerter. Malim tamen. AD MUCICIPIUM. A. FORO. &c. vel forte.

AD. MOSAM. A. FORO. C. M. P. XII.

Ad Municipium enim (ſi aliquod fuit, ubi hodiè **Monſter** vicus haut

Ad pag. 66.

COLVMELLA MILLIARIA

ſecundum Scriverium, quæ et apud Gruterum p. CLVI. 7. paullo aliter a Pighio exſcripta.



haut procul *Moſâ*) *Columella* hæc & primitùs conſtituta & denuò eruta aſſeritur ; Non AD FORUM HADRIANI, tantò celebrioris famæ, ut ab hoc numerare lapides, magis convenire videatur.

Si verò Municipium vel *Moſa* diſtet à FORO. M. P. XII. planiſſimè FORUM eſt Voorburg / & M. P. VII. tantùm à *Lugduno*. Error autem valde proclivis eſt, ex membranis pulvere obfuſcatis V. in X. convertere : Qui & à Chalcographo in Tabula commiſſus ſic ſatis dignoſcitur. Ut dubium nullum ſit, quin in membrana ſcriptum fuerit VII. non XII. Reliqua de FORO HADRIANI *ad Elinum* dicta ſunt, vel dicenda, Bono cum Deo ; *ad Fortranam. Part. II.*

X. FOSSÀ DRUSIANÀ.

RHenus hactenus bicornis, atque ſolo *Vahale* & alveo ſui nominis ; à principio *agri Batavi* donec effluat, diſtinctus, Auctore Druſo, circa annum XII. antequam CHRISTUS naſceretur, tripertitò exire cœpit.

FOSSA è *Rheno*, M. P. XIII. infra primum divortium, è regione *Caſtrorum Herculis*, ubi depreſſiores campi, perductâ *ad Salam* Bructerorum amnem, XI. M. P. circiter circuitu: Et cùm *Salæ* alveus exilior, quam ut abactas *Rheni* aquas egurgitaret, etiam hic, immenſo opere, in amplitudinem & profunditatem majorem effodiendus fuit ; & ut *Vechtam Bructerum* ſecum rapetet, eò quoque perducendus, donec in depreſſiſſimos campos longè lateque ſpargi potuit.

Tacitus ([b]) omnem hanc FOSSAM, ab Auctore, DRUSIANAM dixit. Suetonius ([c]) FOSSAS DRUSINAS : Diſtinguens fortè partes, ſupremam & infimam, per ſolidam humum, à mediâ longè maximâ ; per *Salæ* veterem alveum, actam. Quin nec ipſe Tacitus ([d]) FOSSARUM appellatione abſtinet.

Atque hâc impoſterùm, non modo Druſus ; ſed Romani Imperatores & Duces omnes, illum ſecuti, exercitus à *Rheno* in *Lacus* & *Oceanum* deduxêre, *Friſios*, *Chaucos* & ulteriores alios bello petituri.

Accolæ *alterùm Vahalem*, diverſam in plagam, *Rhenô* deductum concipientes, illam ſaltem novæ FOSSÆ partem, ſuperiorem ; quâ antea flumen non erat ; De Nawale / id eſt, *Poſteriorem Vahalem* dixiſſe videntur. Quam appellationem etiam Tacitus ([e]) agnoſcit : Fluminis NABALIÆ mentionem faciens. Pars verò proxima & media adeò vetus *Salæ* nomen non perdidit ; ut & utraſque particulas alias, quæ ſupra & quæ infra, in ejuſdem nominis communionem pertraxerit, & tota, inde à *Rheno* ad *Vechtam* & *Lacum*, *Sala* dicta fuerit, ac hodieque Y- SALA, id eſt, *Aqua Sala* vocetur. Cæterùm, cum

(b) Ann. II. c. 8.
(c) in Claudio.
(d) XII. An. c. 18.
(e) V. Hist. c. 26.

(f) G. A. III. c. 17. hæc omnia Cluverius noſter (f) pleniſſimè & ſolidiſſimè executus ſit, Lectorem eò ablego: Præmonitum tamen; ne temerè Ptolemæo fidem deroget, ſuper *Vidro* fluvio ejuſdemque Oſtio ad *Oceanum*; neque ſibi imponi patiatur, Cluverii, de eo, commentatiunculâ nimis quam erroneâ & infideli; uti ſuô locô demonſtratum dabo.

XI. FRANCI POPULI
ET
FRANCIA REGIO.

FRANCOS Populos dico, quia Transrhenanorum plures fuerunt, qui, pro vindicanda libertate, ſancitô fœdere, in hoc nomen convenerunt. Initio quidem illi, qui *Rheno orientali* & *Oceano* prætexuntur, aliquanto ſupra agri *Batavi* principium, circa ripas *Salæ Flevique* & *littora Oceani* in *Albim* uſque. Nempe, præter *Bructeros* mox ad Nicrum tranſlatos, *Ampſivarii*, *Chauci*, *Friſii* & *Chamavi*. Atque hos eſſe putem, qui in Tabula Peutingerana ad *Rheni Oſtium orientale* & *Oceanum*, per confuſas turbataſque notas litterarum, indicantur: Ubi enim *Chauci*, *Ampſivarii* & *Chamavi*, integritati ſuæ fuerint reſtituti, M. pro NI. & ſ. pro l. repoſitis; Litteræ majuſculæ, quæ ſuperant, HREPSTI, hoc ſitû, inter *Amiſiam* & *Rhenum Orientalem*, vix aliæ Genti quam *Friſiis* aſcribi poterunt. P. igitur ex medio ad caput, & T. in infimam lineam, locô ſuppoſitæ litteræ *l.* vel *I.* viciſſim transferendum nullus dubito; adeoque PHRESII legendum eſſe: Ut totus contextus hic ſit; (ultimô P in *Ph.* vel F mutatô)

CHauci aMpſivarij
PHRESII.
Chamavi qvi ET Franci.

(a) A. Marcell. XVII. c. 17. FRANCOS autem hoſce conſuetudo *SALIOS* (a) cognominavit, ſive à *Sala*, id eſt, Comitio, quod procul dubiô apud Aborigines fuit; ſive ab ejuſdem nominis amne, quem, prorogandis & firmandis Imperii limitibus, Druſus latiore & depreſſiore alveo, *Rheno* conjunxit: Neutiquam verò à Populo ex fœderatis uno, cui nomen iſtud proprium fuiſſe hactenus falsò creditum eſt: Merum enim epitheton eſt; FRANCOS, qui ſunt ad *Salam* & *Oceanum*, avitis in ſedibus, diſtinguens ab aliis, qui ſuperiora, tanquam emiſſi Coloni, occuparunt, ad *Herciniam* uſque Silvam, *Nicrumque* fluvium, CHAT-

TIS

TIS vicini, ideoque CHATTUARII vel diſertius CHATTIBARII dicti. Et ne Hi quidem à Populo ejus nominis ad *Viſurgim*, cui cum fœdere hoc nihil commune: ſed à ſola *Chattorum* viciniâ; itidem epitheti formâ. Ex Bauten enim ſeu Buuren / qui Germanis *vicini*, Romanos feciſſe *Varios* & *Barios*, jam edocti ſumus ab *Ampſibariis*, *Anſivariis*, *Anſvariis*, Den Embsbauren. Ammianus Marcellinus ([b]), omiſſâ omni aſpiratione, tam ſimplice H; quàm geminatâ CH. ATTUARIOS vocat FRANCOS, qui ſunt in ripa *Veteribus* adverſâ & ſurſum, ubi Julianum Cæſarem trajeciſſe ſupra ([c]) probatum eſt: Exemplô Velleji ([d]), qui CHATTUARIOS, populum, ad *Viſurgim* CHATTIS VICINUM, ATTUARIOS quoque dixit. Injurii ſunt in ampliſſimas Gentes, qui *Anſvarios* pro ATTUARIIS apud Marcellinum legi debere contendunt; Quaſi ab *Amſibariis*, miſerô popellô, ex tenuibus reliquiis pridem renatô; uti dictum in *Amſibariis*; cognomentum trahere voluerint fœderis FRANCICI præcipui Auctores.

(b) Lib. XX. c. 10.

(c) Ad Caſt. Ulp.

(d) Lib. Hiſt. II.

Fœderatos autem brevi protuliſſe fines, ſecundum *Rheni* ripas, in *Cattos* & Silvam *Herciniam Nicrumque*; apertum eſt ex Tabulâ Peutingerana in qua

FRANCIA,

pedalibus litteris, eô tractu, conſpicitur; Atque in ſupremâ orâ BURCTURI ſeu *Bructeri*: Unde Claudianus ([e])

(e) Honor. COS. IV.

> —— —— *Accola Silvæ*
> Bructerus *Herciniæ*. —— ——

Et Sidonius Apollinaris Arvernorum Epiſcopus ([f]);

(f) Carm. VII. pag. 325.

> Bructerus, *ulvoſâ vel quem* Nicer *abluit undâ*
> *Prorumpit* Francus - - - -

Tota ergò regio, quæ quondam *Sigambrorum*, *Ubiorumque*, trans Rhenum agentium, fuerat, & tunc *Tencterorum*, *Uſipiorum* aliorumve erat, FRANCICO Fœderi ceſſit. Pactone an Bellô? nuſquam diſertè legitur. Bellô tamen ſuſpicari malim: cùm conſtet *Bructeros* huc ſedes transtuliſſe, in regionem nempe, quâ veteres Colonos expulerunt. Ad hæc, cùm nulla deinceps *Tencterorum Uſipiorumve* fiat mentio inter auxilia Palatina, Legionesve Comitatenſes; ſed FRANCORUM, SALIORUMQUE tum omnium, tum pæne ſingulorum, frequentiſſima; uti conſtat ex Notitia Imperii Utriuſque; Populos hoſce à FRANCIS exciſos vel ſedibus ejectos fuiſſe, omninò veroſimile fit. Et leve eſt dubium quod injicitur ex Claudiano & Sollio, aliiſque; *Sigambros* in FRANCIS numerari, his verſibus Priori ([g])

(g) IV. Hon. COS.

Ante Ducem noſtrum, flavam ſparſêre Sigambri
Cæſariem, pavidoque orantes murmure FRANCI
Procubuêre ſolo - - - -

(h) Carm. XXIII. Alteri ([h])

FRANCORUM & penitiſſimas paludes
Intrares, venerantibus Sigambris.

Manifeſtè enim poëticum eſt; vocare *Sigambros*, qui ſolum, quondam illorum, tunc tenebant. Licet & vulgo receptum fuiſſe videatur; *Bructeros* Francorum haut dubiè portionem, à novis in Sigambria ſedibus, & *Sigambrorum* appellatione indicare. Attamen nihil falſum magis, quàm *Sigambros* genuinos in FRANCORUM Transrhenanorum fœdere fuiſſe: Utpotè, quos ſatis conſtat, jam à Tiberio, Auguſti auſpiciis, in Cisrhenanam Romanorum Provinciam tradu-
(i) Suet. Aug. Eutrop. VII. Tacitus II. An. 26. XII. c. 39. ctos ([i]). *Tubantes* tamen Fœderis ſocios fuiſſe, licet in Tabula, ob tenuitatem fortè, non memorentur; tum Nationis, eo tempore, ſedes; tum maximè illorum conjunctio cum SALIIS junioribus in Notitia Imperii ([k]), facilè mihi perſuadent ut credam.
(k) de Com. Illyr. Atque hæc veriſſima FRANCORUM FRANCIÆQUE Transrhenanæ origo eſt. Qui diverſa tradunt, (ſunt ſanè plurimi) ſibi ipſi ſomnia fingunt, Populoque narrant fabulas anilibus aniliores.

De tempore denique, quô initum Fœdus, in promtu nihil eſt, quod pro comperto dicam. Videtur quidem vero non abſimile, Maxi-
(l) Capit. & Herod. VII. mini, crudeliſſimæ beſtiæ, crudelem in Germanos victoriam ([l]), & contra alteram *Scytharum* in Romanos, cæde ipſius Decii Imperatoris, partam, tùm huic Fœderi, tùm plurium Barbarorum motibus occaſionem dediſſe: In nervos autem illud prorupiſſe, infauſto Galli Principatu. Certum namque eſt, jam conſtitiſſe, A. Poſtumô Galliarum Præſide & Transrhenani limitis Duce, Valeriani miſſu; vix ultra quinquennium à Decii clade. Poſtumum enim, haut diu poſt, à Gallieno, bello petitum, FRANCICA auxilia, trans Rhenum, duxiſ-
(m) In Gallien. ſe, ſcribit Treb. Pollio ([m]). Et Aurelianus, adhuc Tribunus Legionis VI. Gallicanæ, FRANCORUM (jam, non modo per totam
(n) Aur. Vict. de Cæſ. Eutrop. L. IX. *Galliam* vagantium; ſed etiam per *Hiſpanias* & *Africam* ([n]):) Mille cecidit ad *Maguntiacum*. Hoc autem poſt quinquennii Imperium, interfectô; ſub Tacito, Romanum limen iterùm rumpere auſi, validas, nobiles, divites & potentes Urbes occuparunt trans *Rhenum*, Galliaſque pæne poſſederunt. Neque Floriani breviculo Principatû ſub Romanis legibus fuêre. Aſt Probus Imperator inviis illos paludibus proſtravit, & ultra *Nicrum* & *Albim* [En Franciæ Transrhenanæ terminos] removit, ductô inde triumphô: Cui in propria reverſi perſer-
(o) In Aurel. Tac. Probo. vire non deſtiterunt; uti hæc omnia narrat Vopiſcus ([o]) inter Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ Latinos Minores longè præſtantiſſimus. Poſt

hæc

hæc Imperii majeſtatem comiter reveriti, diu frequentes inter Auxilia fuêre, quaquaverſum. Nimiâ tantùm licentiâ utentes, mari infeſtando & ſumendis ſibi cis *Rhenum* habitaculis. Subinde coërciti, & propria repetere coacti à Maximiano, Conſtantio, Conſtantino M. Conſtante Imperatoribus; Juliano Cæſare, Ætio Duce, Theodorico Rege, & Beliſario Patricio. Quorum teſtes A. Marcellinus, Eutropius, Caſſiodorus, Panegyriſtæ. Addente Marcellinô SALIORUM & ATTUARIORUM diſtinctionem inter FRANCOS, longâ conſuetudine, XXC. nempe annorum P. M. Conſtantio II. Imperante, jam inoleviſſe. Poſtquàm verò Athalaricus Theodorici Regis Nepos, Gallias diu retentas; Et Beliſarius à Juſtiniano I. miſſus, pacem reſtituiſſet ([p]) Theodeberto Chlodoviti; ex Diderico filio, Nepoti: FRANCI deinceps liberam & ſummam poteſtatem, omni nexu Imperii Romani ſolutam, uſurpare cœperunt.

(p) Jornand. de R. & T. S. in fin.

Ut meritò Theodobertus, & qui unà cum illo tunc præfuerunt, inter FRANCOS, Regum primi haberi debeant. Nam is demum, verè Rex eſt, qui Regem non habet.

XII. FRISIABONES.

C. Plinius ([a]) in *ipſo Rheno*, intra alveum Medium, & *Orientalem*, IV. Pagos Civitatis *Friſiorum* collocat, quos Inſulas vocari ipſi placuit: Quia fluminibus, foſſis, lacubus, mari, in totidem partes notabiliores ferè diſſecti. Qui Pagum, verſus Arctum, *Auchis* proximum tenent, FRISIABONES dicti fuêre Romanis; Vocabulô quö vix ullum propiùs dari potuit exprimendo Germanico cognomento, quod hanc *Friſiorum* portionem, aquis non modò circundatam, ſed pæne oppletam, ab aliis Popularium diſtinxit; A-woners nempè vel Æwoners / id eſt *in aquis habitantes*: hodiè Waterlanders / ex recentiore nomenclaturâ dicti; parte ſaltem eâ, quæ eſt ad immenſum illum Lacum Zuyderzee; Rectiſſimè igitur Plinius ex Frieſſe Awoners / ore Romanô, fecit FRISIABONES. W. in B. uti fieri aſſolet, mutatô. Ipſi Indigenæ Romanè loqui amantes, proximè ad genium vernaculum FRISÆVONES ſe dixêre, id eſt, Fries Æwoners / uti eſt in Veteri Epitaphio, quod Frater Fratri faciundum curavit ([b]). In alio ([b]) etiam reperitur FRISÆONES. W. litterâ Germanicâ planè omiſſâ, ex uſu-ne an lapidarii vitio? Non facilè dixerim. Apud Plinium ([c]) quidem in *Eburonibus* recurrit vocabulum; FRISIABONES; ſed manifeſtô Librarii errore, de quo nemo ambigit. FRISIABONES enim, ætate Plinii, ſecus *Moſam*, novas ſedes tenuiſſe, tantùm abeſt; ut cum *Batavis* ſociis, tunc ultra ipſum *Rhenum* fuerint rejecti ([d]). Num Plinius ab Opido Frypont / hodiè in *Eburonibus* noto

(a) H. N. IV. c. 15.

(b) ap. Grut. pag. DXXXIII. 7. pag. DC. 13.

(c) d. l. c. 17.

(d) Tac. V. Hiſt. c. 23.

noto, ſimile quoddam nomen formaverit, vel ab alio non abhorrente? in medium relinquo. Certè τὸ FRISIABONES huic poſituræ nequaquam convenit.

Pagum autem FRISIABONUM noſtratium, utrimque latiùs patuiſſe, quàm ſervans cognominis *Waterlandia* hodierna, mihi quidem dubium non eſt. Novô enim ſinû, haut multò minus agrorum, ex FRISIABONIBUS quàm ex *Sturiis Marſatiiſve*, hauſtum, ſatis conſtat. Neque gravatè admiſerim, ab altero latere, ultra *Tam*, in *Rhenum* quoque fuiſſe protenſum. Si tamen Ya illa ætate fuerit ſinus. Cum vix ſit, quòd *Auchi*, infra *Flevonis* oram extimam, ubi *Ta* Lacum ingreditur, deſcenderint. Minus etiam, quòd *Marſatii*, inter tot Lacus, unum Harlemenſem finibus ſuperarint. Habuerunt ergò FRISIABONES; à fronte Lacus plurimos, quibus à *Marſatiis* diſterminabantur; A Læva *Rhenum*; A Tergo *Auchos* & ingentem Lacum *Flevonem*; A Dextrâ *Sturios*, hodiè vaſtô ſinu disjunctos. Quibus terminis, præter *Waterlandiam*, penes quam ſolam vis antiqui nominis, in præſentia continetur *Rhenolandia Ulterior*, cùm *Amſtelandia* univerſâ. Ubi & Jus & nomen Friſicum magis vigent, quàm quâvis aliâ *Hollandiæ* parte: Perexiguus terræ angulus quidem, idemque ferè paluſtris aut lacuſtris; Sed cui vix alius, toto Orbe, par vel ſecundus, nedum prior; propter portuum tutiſſimorum frequentiam & mercatus celebritatem. Sinu ſuo complectens Urbium ocellum & Emporiorum Reginam AMSTELODAMUM, præter *Hornam*, *Enchuſam*, *Medemelacam* & Opida foraque minora plurima longinquis navigationibus famigeratiſſima & copioſiſſima. Si ſuccenſere fas eſt, eſt de quo ſuccenſeatur Hadriano Junio (c), qui nobiliſſimi hujus Pagi ſui Incolas **Frieſſe-Apen** / id eſt, *Friſiorum Simios* antiquitus dictos fuiſſe, contendere non erubuit? Quia in vicino Pago *Marſatiorum*, inter arenarios Colles ad Oceanum, extet locus, cui nomen **Breeſaep** / quod corruptam nugatur ex **Frieſaep**; verò (ſi Dîs placet) etymo *Friſiaponum*, qui FRISIABONES Romano eloquio. Sed ego neminem fore puto, Junii facundiâ adeò faſcinatum, ut hæc non rideat.

(c) Ant. Bat. c. III.

XIII. FRISII.

CLariſſimi nominis & ampliſſimæ Civitatis Transrhenana Gens eſt in littore Oceani, quam Latini, rectè loquentes, & ſcribentes FRISIOS dixêre. Græci paullò aliter, & quidem Ptolemæus (a) PHRISSIOS. Dio Caſſius verò PHREISIOS (b). Unde fortè in Tabula Peutingerana PHRESII. Extat etiam apud Gruterum (c) in Veteri Lapide, FRISEUS. Et in Æthici veſana Coſmographia FRISIONES. Atque hiſce diverſis eloquendi modis

(a) Geog. II. c. XI.

(b) L. LIV. ſub fin.

(c) p. DXXXII. 6.

dis Veteres expreſſerunt vernaculum **Frieſen** / quod hodieque iiſdem in ſedibus cluet.

Sunt autem FRISII ejuſdem originis cum univerſa Natione Transrhenana. Inſanum ineptiunt, qui illos ex *Phrygia* ab *Ilio*, vel etiam ex *India* accerſunt advenas, longinqua mendacii tempora fingentes.

Nominis etymon à libertate tractum doctis pleriſque viſum fuit. **Frie** enim Teutiſca lingua *Liberos* ſignificat: Neque uſquam terrarum olim fuit, aut hodiè reperitur Populus, qui libertatem vel acrius vindicavit, vel impenſius promovit, vel integrius ad Poſteros tranſmiſit, quam ipſi FRISII noſtri: Quibus ob id, ab omni ævo, tributus Titulus in primis glorioſus; **DE FRJE FRJESEN** / quaſi GERMANORUM LIBERRIMI FRISII. Quam opinionem augere videtur Dio, PHREISIOS ſcribens; **Frey** enim ſuperioribus Germanis nihil aliud, quàm *Liberum* denotat.

Sunt tamen, qui à **Fris** / quod *recens* Latinè, FRISIORUM nomen deducunt; quia teneant plurimum agrorum recentium, quos ubere & profundo luto opplevit *Oceanus* frequenter exæſtuans. Neque id adeò abſonum, Cùm hodieque apud nos nota ſit diſtinctio inter **Olde Landen** & **Frieſſe Landen**/ quorum illis agros veteres argillâ nudos, His recentes plurimâ auctos deſignant Ruſtici, utrumque genus colentes. Atque ab hoc etymo non abhorret ſcriptio Ptolemæi, per geminum SS. PHRISSII quaſi **Friſſelanders**.

Cæterùm, cùm **Fris** *gelidum* quoque valeat, & **Frieſen** *congelaſcere*; Quidam FRISIIS, à *gelidâ plagâ*, nomen inditum autumant. Sed de his integrum ſit ſuum cuique judicium. Sanè à FRISONE ſive *Trojano*, ſive *Græco*, ſive *Indo*, putido figmento, neminem cui pectus ſapit, originem noſtram repetiturum exiſtimo.

Fines quòd attinet, quos Romani FRISIIS deſcripſère; ipſa etiam Natura conſtituit. Frontem nempe *Oceanus*; Tergum vaſtæ *Paludes* & *Foſſæ Druſinæ*; Latera medius *Rheni* alveus & *Amiſia* claudunt. Ipſi ambientes immenſos *Lacus*; ita Tacitus & Ptolemæus. Haut mirum itaque, quòd adiri nequiverint, niſi claſſe aut Pontibus longis, anguſto & aggetato tramite, inter *Paludes* ſtratis; uti plurimis exemplis ubique confirmat Tacitus. Cui etiam diſtincti dicuntur in *Majores* & *Minores*; Utrique *Rheno* ad *Oceanum* uſque prætexti [d]. *Majores* igitur, qui primò locò memorantur, ſuperiora ad *Rhenum* tenuerunt: Et, quia ex modo virium ita dicti, omne illud terrarum præterea poſſediſſe videntur, quod FRISIORUM fuit ultra *orientalem Rheni alveum*. Certâ ſequendi ratione, quòd *Minores* viribus impares, partem inferiorem reliquam, inter dictos *Rheni* alveos, ſibi tantum vindicarint.

(d) G. c. 34.

C. Plinius FRISIOS, qui in ipſo *Rheno* ſunt, ab *Ulterioribus* haut obſcurè diſtinguit. Et quidem Prioribus, Pagos IV. Seu In-

ſulas aſſcribit : Quorum tamen ſuperiorem *Auchorum*, Tacitus *Majoribus* annumerat : Quia *Medio Rheni alveo* etiam prætexuntur, quò aliàs minimè pertingerent *Majores*. Unde liquidum fit *Minoribus* III. tantum Pagos fuiſſe *Friſiabonum*, *Sturiorum*, *Marſatiorum*. *Majoribus* fortè plures; ſed omnes, exceptis *Auchis*, indictos Veteribus. Licet hodiè *VI.* alios numeremus; *Vollenhovium*, *Trentonum*, *VII. Silvarum*, *Weſtergoam*, *Oſtergoam*, & *Groninganum*, in quo & Romani Exercitus, ituri ultra *Amiſiam*, convenire ſoliti. Sed de his Parte II.

Romanorum primus, qui FRISIOS adiit, fuit *Druſus* Auguſti Privignus, Tiberii frater, Càji Avus, Claudii Pater, Neronis Proavus : Illum in finem, foſſâ ex *Rheno* actâ, per quam claſſe medios invaſit, & in *Oceanum* devectus ([e]) omnes circumivit. Atque

(e) Dio Lib. LIV.

ſubito terrore perculſos modicum tributum juſſit, nullô Rectore impoſitô : Ob utilem operam, quam pedeſtri & navali militia, tunc in *Chaucos* præſtitêre.

Poſt Druſum, in vicinia *Maguntiaci*, extinctum, ex fractura cruris, quam, viſô ſpectrô, ad amnem ſale fœcundum, ab *Albi*, cum victoro Exercitu, redeunti, decuſſor forte equus ([f]) attulerat; acceptis Rectoribus, primò quidem ex Centurionum primoribus, dein ex Primipilaribus, qui tributum intolerabiliter exaſperabant; Pacem exuêre & Imperium; actis in crucem Romanis Militibus, qui tributis præerant. Et mox fuſo fugatove Utriuſque Germaniæ Exercitu, quem in ultionem, claſſe per *Rhenum* tantum, non etiam per *Lacus*, advexerat L. Apronius P. P., in Libertatem ſe vindicarunt, maximâ ſui nominis gloriâ. Quia ſoli, pæneque ſoli, qui trans *Flerum* agunt, tunc maximè anguſta in re, nulla circumventione uſi, aperto Marte, octavum renovato prælio atque in poſterum diem protracto, tam inſignem à duplici Exercitu, reportarint victoriam. Cui, ſi quæ alia Germanis, in Romanos, uſquam parta, comparari mereatur; Certè vix ulla, omnibus ex merito æſtimatis, anteferri poterit. At, dicet aliquis, Arminii victoria in Q. Varum, omnibus Transrhenanis Inferioribus libertatem reſtituit. Hæc uni tantum FRISIORUM Genti. Fateor. Sed Arminii, non niſi ad ſexennium; Hæc in perpetuum. In hunc autem modum, XXVIII. Anno Æræ Chriſtianæ vulgaris, excuſſo jugo, quod totos XL. annos, patienter, impatienter toleraverant, nunquam ad Imperii obſequium redière; (ſi paucos menſes excipias, quibus Corbulo, Repl. eorum ex Indigenis compoſita, præſidium immunitum tenuit:) Sed deinceps *Germanorum* omnium liberrimi, Nationem ſemper ſuam ipſi rexerunt; conſtitutis ſibi Rectoribus & Ducibus, qui Populi placita exſequerentur. Quales fuêre Verritus & Malorix, Romanis Reges quidem dicti; ſed quos Populus Legatos Romam ire juſſit. Summa igitur energiâ Tacitus ([g]), Principatu Neronis, de FRISIORUM Natione dixit; *in qua tum Ger-*

(f) Dio. LV. initio. Strab. Lib. VII.

(g) XIII. An. fin.

Germani regnabant, ut innueret; non ampliùs Romanos (1), ſed ipſos FRISIOS, qui *Germani*, illam Nationem regere; populari licet imperiô. Corrumpunt itaque vel enervant Taciti ſententiam, quotquot à vulgatâ lectione recedunt; nihil non ſubſtituere auſi, ex ingenio quiſque ſuo. Cæterùm non ſua tantùm libertas FRISIIS cordi fuit, ſed vicinorum quoque, quibus ad libertatem reſpicientibus, ſemper auxiliis præſto fuiſſe noſcuntur. Immo Auctores præcipui, ſanciendi, pro communi libertate fœderis, cui ex re FRANCICI, ideſt, *Liberi* nomen inditum. Sui ſemper nominis retinentes adeò, ut illud latè in vicinos propagarint, Gallias jam obtinentibus Francis. De quibus non pauca, huc etiam referenda, ſuperius expoſui.

(1) Vertranius in Not. ad d. l.

G.

I. GERMANIA INFERIOR.

TAcitus, in Libello de Germania, Celtarum ultimos, qui intra *Rhenum*, *Danubium*, Septentrionalem *Oceanum* & *Sarmatas* habitant, veriſſimè *Indigenas credidit minimè aliarum Gentium adventibus & hoſpitiis mixtos: quia nec terrâ olim, ſed claſſibus advehebantur; qui mutare ſedes quærebant: Et immenſus ultrà Oceanus* ejuſmodi tranſmigrationibus maximè *adverſus* & intractabilis, *vix navibus aditur. Quis porrò*, inquit, *præter periculum horridi & ignoti maris, Aſiâ aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cælo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit.*

De verâ autem origine, ex *antiquis carminibus*, quæ *vetuſtatis licentiâ* valdè turbata & confuſa, tantum percipere licet; Quòd primum hominem ſeu MANNUM, *à Deo terrâ editum*, agnoverint tum ſuæ, tum omnium Gentium conditorem: hactenus tantùm falſi; quòd, quæ de Orbis Conditi Primo veriſſima cognoſcimus, tranſtulerint ad Virum Principem Orbis reparati à diluvio. Cui iterum veriſſimè *tris aſſignant filios*: Quos tamen malè ſuæ unius Gentis Patriarchas decantarunt. Ex tribus enim Noachi ſeu Manni filiis, omnes Terræ habitatores prodiêre; cuncti in plurimos Populos, diverſis propriiſquè nominibus diſtinctos; præter unicum Transrhenanum à Primigenâ ortum, qui diu proprium nomen non admiſit; ſed nudè ſe dixit POPULUM, het Diet/ Duyt/ Tuit/ Teut/ variantibus dialectis: Unde adjectivum Duitſche/ Teutſche *Populares*, & Duitſchland/ Teutſchland/ *Populi Regio.* Civitatibus tamen, quæ in hoc Populo plurimæ, antiqua & propria nomina non defuêre, ceu ſunt; *Marſorum*, *Gambriviorum*, *Suevorum*, *Vandaliorum*, *aliorumque*. Et in his *Friſiorum*, apud quos, ne hodie quidem ignoratur antiqua appellatio; 't Frieſch Diet/ id eſt, Friſiorum Populus ([a]). Vetus autem ſuperſtitio ex Diet *Populo*, Deum fecit cognominem terra editum Populorum Conditorem, quem Tacitus noſter ex antiquis carminibus *Tuiſtonem* ſeu *Tuiſconem*, vel, ſecundum Cluverium ([b]), *Tuitonem* appellatum accepit. Cæſar ([c]) *Ditem.* Alii Veterum *Teutatem.* Fabuloſè omnes, ut de Diis omnia. Hoc interim certum; Transrhenanos univerſim, haut diu ante Gallias à Julio Cæſare ſubactas, peculiari nomine Romanis ignotos fuiſſe.

(a) Douz. An. Hol. Lib. VIII. in Diedr. I.
(b) G. A. L. I. c. 9.
(c) Bel. G. Lib. VI.

Hiſtoria recentis & proprii deinde nominis, ſecundum Cæſarem & Tacitum ſic ſe habet; „Ex Transrhenana Natione, Quinque-Pago-„rum Gentem, *Condruſorum*, *Eburonum*, *Cæreſorum*, *Pæmanorum*,

„*Segnorum*,

Segnorum, nuper ante Cæſaris adventum, ***Rhenum*** ſolidum trajeciſſe, “
in illam ***Galliæ*** partem, ex qua Romani poſteà Inferiorem hanc Pro- “
vinciam fecêre : Atque omnium Primam (priores enim non niſi va- “
cuos agros occuparant) expuliſſe ***Gallos***, dites & imbelles, miſereque “
adeò metuentes atrociſſimum hoc militum genus, ut illos non niſi “
Gerremans, id eſt, Bellarores appellarint, alii alios, horrendo omni- “
bus nomine, territantes. Hocque ipſum, licet malignè dictum à “
Gallis, ſibi honorificum & boni ominis reputantes Quinque-Paga- “
nos, lubenter *à Victis* recepiſſe : Mox etiam Alios, qui trans *Rhe-* “
num advenêre, *ab* hiſce *Victoribus* primis, ob Gallorum metum, ita “
nuncupatis: Id denique unà effeciſſe, ut paullatim *à ſeipſis*, ceu acer- “
rimis Bellatoribus, in univerſam Nationem Transrhenanam peræque “
bello lætam, evaluerit inventum *à Gallis* nomen; Nec ultrà peculiare “
fuerit Gentis, vel primò, vel deinceps *Rhenum* trangreſſæ. Adeò “
ut Quinque-Pagani in unam Civitatem coäliti, & aliquandiu ſeorſum “
GERMANI dicti ; impoſterum *Tungrorum* appellatione diſcerni “
debuerint.

Lege, pellege, relege attentius vexatiſſimum de hac re Taciti [d] locum, & fateberis, ni fallor, hoc planè verborum ſenſu, illum fuiſſe locutum : Nec aliter voluiſſe Virum hiſtoricæ veritatis non minus ſcientem quàm obſervantem. Quid enim certius? quàm, Cæſaris ætate, V-Paganos illos *à Gallis*, *tunc*, GERMANOS fuiſſe appellatos ; qui, ævo Taciti, *nunc*, *Tungri* vocentur ? Quis porrò negabit ; Poſterioribus advenis ex Transrhenana in Gallias, idem nomen rectiſſimè inditum *à Victore ?* Qui *à Gallis ob metum*, illud pridem receperat. Quis denique ; quòd *ab* his *ipſis* ſimul, ad univerſam Nationem, cis & ultra *Rhenum* ſubſiſtentem, paullatim evaluerit ? Veriſſimè igitur Tacitus ; Cæſaris tempora reſpiciens, aſſerere potuit ; GERMANIÆ vocabulum recens & nuper Transrhenanis additum *à Gallis*, *à Victore*, *à Seipſis*, ob metum undique ; vel incuſſum ab advenis Bellatoribus, vel conceptum ab indigenis imbellibus.

(d) Germ. c. 2.

Conſentaneum itaque fuit, ut Romani, oram Rheni Germanis habitatam GERMANIAS dixerint. Has verò in duas Provincias diviſêre *Superiorem ſeu Primam* [e], & *Inferiorem ſeu Secundam* ; cujus portio, licet Fratrum dignitate, fuerunt *Batavi* ; immò & *Friſii* aliquandiu, aliique Transrhenani, ejuſdem Præſidi paruêre. Ut indictam transmittere, haut æquum duxerim. Fuit autem præcipuæ dignationis totô Imperiô : quia ex hac potiſſimum oppugnandi GERMANI, quorum Libertas adeo acris viſa Romanis Imperatoribus ; ut non niſi conjunctiſſimis illam commiſerint. Ita TriumVir Cæſ. Octavianus necdum Auguſtus, miſit Agrippam ſuum. Poſt hunc revocatum Bellô Antoniano C. Carinam, quocum Triumphum de Germanis quoque duxit. M. deinde Vinicium, tantundem meritum. Rurſum M. Agrippam. Tum M. Lollium. Et poſt ejus cladem,

(e) Tac. IV. An. 73. Dio Caſ. Lib. LIII. Am. Marcell. Lib. XV. c. 27. Not. Utr. Imp. de Vicar. VII. fin.

Provinciæ, à ſe per biennium præſente, conſtitutæ, Druſum impoſuit. Deinceps Tiberium ſæpius : L. Domitiô, Q. Varô, Cæſare denique Germanicô ſubinde ſuffectis. *Tiberius* Germanico Imperium prorogavit, fratremque Druſum, filium ſuum, deſtinavit ſucceſſorem : Interim L. Viſelliô Varrone Legatô providè, L. Aproniô PR. PR. infeliciter adminiſtrante : Sublatis verò filiis, Cn. Corn. Lentulum Gætulici F. ſuffecit in decennium. *Cajus* huic neminem ; ipſe magnô apparatû magna edens ludibria. *Claudius* S. Sulp. Galbam, P. Gabinium Secundum, Cn. Domitium Corbulonem, ordine ſuccedentes. *Nero* Illuſtres Rufos duos, poſt unum, alterum. *Galba* A. Vitellium. Poſt quem [uti ſemper, prolatâ ſucceſſione] Legatis neque Conſularibus, neque Prætoriis, cura relicta. Donec *Veſpaſianus* ſubmiſerit Domitianum F. *Domitianus* ipſe *Imp.*, poſt ſuſceptam illuc alteram expeditionem, Antonium; Et contra deſciſcentem, L. Maximum. *Nerva* tandem Trajanum Optimum. Idem poſteriores Imperatores ſecuti ſunt, vel ipſi ſibi has partes ſumſêre : Sumſerunt ſanè frequenter, Hadrianus, Marcus, Sept. Severus, Anton. Caracalla, Alexander, Maximinus, alii jam ſuprà in *Francis* indicati.

Termini fuerunt, cis *Rhenum*, quà propriè dicta Provincia ; contra *Belgicam ſecundam*, *Geta* amnis, *Rupelæ* nomine, per *Scaldim* effluens, à fontibus, ad *Moſæ Sabiſque* confluentes, ductâ lineâ; paulloque ſuprà, ſecundùm *Moſæ* ripam dextram ; Contra *Superiorem Provinciam*
(f) Geog. II. c. 9. verò, Amnis, qui Ptolemæo (f), hujus rei gratiâ, *Obringa* dictus videtur : Germanis enim ora *Rheni* ſuperior **das Ober-Rheingaw** & citatius **Obrengaw** vocatur; ductâ itidem ab ejuſdem fontibus lineá ad *Urtæ* ſcatebras, legendo ripam, tum hujus, tum alterius *Urta* per amborum confluentes ad poſterioris quoque exortum ; atque hinc porrò ad *Leßæ* amnis ſcaturiginem, ſecundùm ejuſdem fluenta, in *Moſam* uſque. Reliqua Rheño & Oceano prætexta fuêre. Quis denique ille *Obringa* Ptolemæi,
(g) G. A. Lib. II. 34. & XL. fin. omnium optimè indagavit Cl. Cluverius (g). Amnis ſcilicet, qui ad *Sinciacum* Opidum, *Rheno* miſcetur, *Aquilæ* nomine hodiè notus, **Aer** nempe, contractô ex **Arent** : Unde Comites *Novæ Aquilæ*, *Aquilæ Villa*, *Vetus Aquila*, *Aquilæ Vicus* & *Aquilæ Mons*, in quo fontes ipſi : Vernaculè **Nüenaer/ Aerwiler/ Aldenaer/ Aerdorf/ Arentsberg**.
(h) Dux Mogontiæ. Idque hoc invicto argumento; Quòd, in Notitia Imperii (h), *Antunnacum Superiori Provinciæ*, quæ eſt ſub Duce *Maguntiacenſi*, apertiſſimè annumeretur : neque inter locum hunc & proximum *Inferioris Provinciæ*, præter ſolum *Aquilam*, alter occurrat fluvius.

Cæterùm ne quidquam Ptolemæi, more ſuô, ſine ſtrictura prætermitteret, *Obringam* in *Abrincam* mutare maluit.

Quod ad Inferiorem GERMANIAM trans *Rhenum*, quam in formam pæne ſtipendiariæ Provinciæ redactam tradit Vellejus (i);
(i) Lib. II. Quando longiſſimè, à *Mœno* per *Rhenum*, atque ab *Amne Sale ſecundo* per *Albim* effluentibus, patuit in *Oceanum*. De *Amne ſale ſecundo*

teſtes

teſtes ſunt Strabo [k] & Tacitus [l]. De *Mœno* idem Strabo, dum dicit ; Druſum felici ſucceſſu bellum geſſiſſe inter *Salam* & *Rhenum*; quod idem eſt, ac ſi dixiſſet *ad Mœnum*. *Mœnus* enim *à Sala* fontibus fluit in *Rhenum*. De *Rheno* & *Albi* nemo non : maximè, ſuperbus ille titulus Trophæi, quod Germanicus Tiberio ſtruxit [m] in Campo Idiſtaviſo, ad Viſurgim.

(k) Geog. Lib. VII.
(l) Tac. XIII. An. 57.
(m) II. An. c. 22.

DEBELLATIS. INTER. RHENVM.
ALBIMQVE. NATIONIBVS.
EXERCITVS. TIBERII. CÆSARIS.
HAEC. MONIMENTA.
MARTI. ET. IOVI. ET. AVGVSTO.
SACRAVIT.

Debellatarum autem Nationum, præcipui nominis, fuêre *Sigambri*, jam ſub Auguſto, ipſius Tiberii ductu, trans Rhenum penitus ſummoti, atque in Ciſrhenanam captivitatem abducti [n], *Chatti*, *Bructeri*, *Marſi*, *Angrivarii*, *Friſii*, *Chauci*, *Cheruſci*, aliæque Minores haut perindè memoratæ, vel planè indictæ. In ipſa Provincia cis *Rhenum*, fuêre *Ubii*, *Menapii*, *Tungri*, *Gugerni*, *Sunici*, *Batavi*, *Taxandri*, *Caninefates* ; transrhenanæ originis omnes, & quidem IV. poſteriores ex *Cattis* : Sed non omnes ejuſdem conditionis : *Batavi*, uti Fratres & Amici P. R. tributorum expertes. *Ubii*, ut ſocii, &c, ejuratâ Patriâ, quaſi Romani, juris ſaltem Italici [o]. *Tungri*, *Menapii*, *Caninefates*, ut Dedititii, tributis, oneribus, collationibus, contemtiores. *Gugerni*, *Sunici*, *Taxandri*, ut manu capti & tranſportati, vix aliter quàm glebæ aſſcripti. Urbs prima *Colonia Agrippinenſis*, in *Ubiis* : Secunda *Atuatuca* in *Tungris* [p] : Poſt has primariæ notæ [q] *Bonna*, iterùm in *Ubiis*; *Caſtellum Menapiorum* ; *Vetera in Gugernis* ; *Colonia Trajana* in horum *Batavorumque* confinio ; *Noviomagus* in *Batavis* ; *Lugdunum* in *Caninefatibus*. Reliquæ viliores, vel adhuc pro Vicis habitæ. Qui, præter hos, inter *Rhenum* & *Scaldim* colunt Germanicæ Nationis Populi, à Romanis inſerti ſunt, ut eſt in Notitia Galliarum, *Belgicæ ſecundæ*. *Nervii* nempe Liberi cum ſuis clientelaribus, variis initiò nominibus, denique ſolô *Sueconorum* & *Bethaſiorum*. Cujus vix alia cauſſa dari poterit, quam quod Rerum Dominis ita viſum fuerit, quorum, pro ratione, voluntas.

(n) Suet. Aug. Eutrop. VII. Tacit. XII. An. 39.
(o) L. 8. §. 2. ff. de Cenſibus.
(p) Not. Gall.
(q) in Tab. P.

II.

II. GRINNES.

CL. Civili Batavo initium belli in Romanos fuit, illos ſummoviſſe ab *Oceano*, quà ager *Caninefas* eſt. Finis fuiſſet, ſi exegiſſe datum ex ſuperiore etiam *Inſulæ* parte, in qua, ad ipſum *Rhenum*, IV. vicos modicos adhuc tenebant, non modicis præſidiis, ſed totis duabus Legionibus, cum Cohortium Alarumque auxiliis; uti ſupériùs [r] jam dictum. Uni ex his IV. in quo Claſſicus haut parvam Cohortium Alarumque manum, magnô quidem diſcrimine, ſed fruſtrà oppugnavit, Tacitus [ſ] GRINNES nomen fecit; diſtinctioris poſituræ noram nullam adjiciens. Hæc igitur aliunde petenda; ex Tabula nempe Peutingerana, ſecundùm Tacitum, emendatâ, ad illum planè modum, qui, ſuprà [t] demonſtratus, veram GRINNIUM poſitionem edit, M. P. VIII. infra *Carvonem* & IV. ſupra *Levæfanum*. Eò fere loci, cui, à Lintrariorum tuguriis, **de Veerhuyſen** nomen; è regione quaſi Viculi **Remmerten**: Arque adeò, proximè ſupra molem illam, quâ Druſus *Rhenum*, Gallicæ ripæ non modo appetentem, ſed voracem quoque, coërcuit; quo minus ſibi aperiret novum alveum [u]. Nec dubium, quin arenæ ex Gallica ripa decerptæ, repercuſſi fluminis vi, longius in ſuperiora fuerint rejectæ, quàm recurvus & pæne transverſus inferioris *Rheni* ductus ibi paruir. Unde conſequens eſt, inter GRINNES & **Remmerten**/ tùm brevia, tùm Inſulas fuiſſe exortas, à quibus uterque locus nominis ſui originem deducere potuit; immò liquidò ſatis deduxit. GRINNES quidem à GRINDS vel GRINDEN: ſic enim evectiores amnium fundos appellamus, qui viridem comam aquis exſerere incipiunt. A GRIN, quod Friſiis *viride*, & GRIND, fundo. **Remmerten**, à *Rheni* Inſulis, quæ jam in prata eviruêre. **Waarden**/ **Warten**/ **Weerden**/ **Werten** vulgò dictis. Nec inſolens; Germanos ferè amantiſſimos geminari MM. **Rheinwerten** in. **Remmerten** mutaſſe: Cum pro **Reinbert**/ **Remmert**; pro **Langbert**/ **Lammert**; pro **Nieumegen**/ **Nimmegen**; immò pro **Swadenburgerdam**/ **Swammerdam** dicere quoque gaudeant.

(r) Ad Arenac. & Batavod.
(ſ) V. Hiſt. fin.
(t) Ad Caſpin. & Caſt. Herc.
(u) Vide ſuprà druſi mol.

III. GUGERNI.

INcola Montium, quos *Sigus* amnis perluit, eô tractû, ubi hodie *Montenſis*, qui dicitur, Ducatus, Romanis *Sigamber* dictus fuit: non minus felici imitatione, quàm compoſitione Germanicarum vocum **Sieg- en Berg**/ in quibus verum nominis etymon. Lata autem *Sigambrorum* Gens, ferox & valida, quâ nulla acrius, primis Romanorum conatibus in *Transrhenanos* obſtitit. Adeò ut Druſo neceſſitas fuerit, univerſam *Lupiæ* ripam, ab effluvio in *Rhenum*, ad *Aliſonis* confluentes; perpetuis caſtellis & præſidiis, à Germanico [a] poſtea

(a) Tac. II. An. 9.

reno-

renovatis contra hanc unam præmunire. Unde Auguſto viſum, Tiberii ductu, totam Nationem ſedibus ſummovere atque, in cisrhenanam cuſtodiam traducere; ademptô veteri nomine ([b]), novoque impoſitô, ob Opido Goch / qua circum agros latè colendos accepêre; *Menapiis* cedere & intra *Moſam* ſe continere juſſis. ([b]) Tacit. XII. An. 39.

Qui itaque quondam Sigambri, id eſt, Siegenberger / deinceps Gocheren/ſeu GUGERNI Romano ore, appellati fuêre. Fines verò, in quibus cuſtoditi, obſederunt, ad *Rhenum*, Caſtra Romana: *Ad Moſam Menapii*; utrobique ab *Ubiis* in *Batavos*. Ita ferè Cæſar, Strabo, Plinius, Tacitus, Suetonius, Plutarchus, Dio, Eutropius, ſparſim licet & ſigillatim, luculenter tamen memoriæ proditum reliquerunt. Atque Cluverius noſter fusè & ſolerter explicavit.

Palpitent uſque Cimmeriis in tenebris, qui *Cimmerios* inſulsè fabulantur *Sigambrorum* Auctores, Gentiſque Principem Priamum Trojanum. Ad *Rhenum* verò à *Cambra* Regina (ſi Dis placet) nomen hoc fuiſſe inventum, diuque poſt, alterum à *Francô* Rege. Vaniſſima inſani cerebri deliria! Si qua tamen, apud bonum Authorem, poſt Auguſtæam tranſportationem, *Sigambrorum* mentio recurrat; id minimè ad Tranſportatos referendum eſt: Niſi fortè Poëta quidam, metri ergò, exciſum nomen revocaverit; quemadmodum Sidonius ([c]). ([c]) Carm. XIII.

Et tonſus Vabalim bibat Sigamber.

Sed ad Veterem aliquam Cohortem ([d]), quæ jam anteà Romanis meruit: Atque, dum ſubſtitit, vetus nomen retinuit: Vel ad novos ſubinde Incolas priſcæ Regionis trans *Rhenum*, *Tencteros*, *Uſipios*, *Francos*, more Poëtis ſolenni; uti jam ſupra oſtenſum, in *Francis*. ([d]) Tacit. IV. An. 47.

H.

I. HELIUM.

OStium, quod *Rheno Occidentali* cum *Moſa* commune eſt; ideo-
(a) II. An. c. 6. que Tacito ([a]) *Immenſum Moſæ Os*, dictum; Et Ptolemæo ([b]),
(b) Geog. Lib. *Rheni Occidentale*, à *Medio* disjunctum M. P. XXI. C. Plinius ([c])
(c) H.N. IV. 15. HELIUM, ſecundum Germanos, dixit; Licet vocabuli ſignificatum non ſatis edoctus; cum aliàs INFERUM percommodè vertere potuiſſet: HEL·enim ſeu HÖL Germanis *Inferum* & *Profundum* eſt. Sive ita appellarint à Plagâ Occidua, quæ etiam Romanis *Infera*; Sive à profunditate, quâ *Medium* & *Superum* ſeu *Orientale*, cui *Flevum* nomen, longiſſimè antecedit; res pæne eodem recidit: Cùm utrumque æquè appoſitum ſit. Et ſuperſunt hodiè priſcæ appellationis veſtigia in **Helvoet** & **Brihel**/ pro quo antiquitus dixiſſe videntur **Helvloet** & **Bree-Hel**/ id eſt, *Helii fluentum* & *Latum Helium*. Neque mihi valdè dubium, quin Ager profundo huic Inferoque alveo adjacens & ſeorſum *Zuydhollandia* dictus, Eidem debeat originem ſui nominis: Quod, proximis ſeculis, in omnem tractum maritimum, qui eſt inter duo oſtia extrema, evaluit, hodieque obtinet, æternumque celebrabitur.

De HELIO Caſtello, ſine Veteri Authore, novis meritò fides derogatur.

II. HERENATIUM.

ITinerarium M. P. VI. infra *Burginatium*, habet HERENATIUM. Tabula, eodem ſitu, *Arenatium*, quod Tacito ([d]) *Arenacum*, Vicus in Batavis, de quo ſuprà.
(d) V. Hiſt. 28.

I.

I. Iuhones.

CHimæra Gentis, quæ nuſquam eſt, nec uſquam fuit; nedum in *Friſiis*: Uti Docti complures, indocti Librarii errorem non agnoſcentes, temerè opinati ſunt. Et in his, ex noſtris, Vir ampliſſimæ dignitatis, qui Tabulam Ichnographicam Urbis *Groningæ*, ad marginem commentariis illuſtravit. Error non modo ex errore natus, ſed, citra illum, à ſeipſo Viris Doctis indignus. Taciti locus, cui, ceu immoto fundamento ſuperſtruunt, licet dubiæ lectionis probetur à Pichena & Lipſio, extat ſub finem Libri XIII. Annalium; vulgò, ſed mendosè, in hunc modum.

Eâdem æſtate [Nerone III. & Val. Meſſalla Coſſ.] *inter Hermunduros Cattoſque certatum magno prælio, quod Cattis exitio fuit: Sed Civitas IUHONUM* [alii habent VIBONUM] *ſocia nobis, malo improviſo, afflicta eſt. Nam ignes terrâ editi, villas, arva, vicos paſſim corripiebant; ferebanturque in ipſa conditæ nuper Coloniæ mœnia.*

Quid hæc Civitas? Quid hæc Societas? Quid hæc Colonia ad *Friſios*? Utpote quibus, una tantum Civitas, FRISIORUM, non IUHONUM; Nulla ſocietas cum Romanis, ſed propè bellum, ipſis Nationem ſuam tum regentibus, ſecundum Tacitum hoc ipſo Libro (a). Nulla denique Colonia Romanorum: Niſi *immunire præſidium*; quod Corbulo, ante annos XI. brevi momento feciſſe legitur (b), ſit Viris Doctis idem, quod *condere Coloniam.* Apage cum ejuſmodi argutiis; Et tantô magis cum nugis quas porrò venditant; alium Taciti locum (c) haut paullo fœdius corrumpentes. Ubi legunt, *Reductus inde in Hiona miles*, vel; *Reductus inde Jubiona miles.* Quaſi non modo quædam fuerit IUHONUM Civitas; ſed etiam *IUHONIA CASTRA*, in *Friſiis*: eademque apud *Coloniam* nuper ibi conditam, cujus verum nomen *Gronia*, contractum ex *Groninga*, atque mutatum in *Hiona*, ſive Romani oris, ſive Librarii vitiô. Ut Hiona, Caſtra & Colonia, ipſis ſit *Groninga* Urbs Friſiorum haut dubiè Princeps. Et IUHONUM Civitas, Gronjer-Land/ id eſt, Ager Groninganus. Lepidum commentum!

(a) cap. 54.

(b) XI. An. c. 19.

(c) II. An. c. 26.

Modò dictum eſt, *Friſiis* nonniſi unam fuiſſe Civitatem; eandem Rempl., eoſdem Rectores; diviſis licet in plures Pagos; Quos inter unus fortè *Marnamanis* & *Amiſiæ* oſtiis terminatus. Qui hodiè quidem ſeorſum Civitatem conſtituit, quam uſus, *Provinciam Groningomlandicam* vocat; Romanis tamen temporibus pars tantum Reipl. ſeu Civitatis *Friſiorum* fuit. Et, ſi maximè locus, ubi hodiè *Groninga*, tum etiam à

viriditate habuiſſet nomen, illum haut dubie, antiquâ Friſiorum linguâ, non fuiſſet Groniȝe vel Groeningen; ſed Grins/ nondum ubique deſuetum. Ex quo ſanè neque Os Romanum, neque oſcitantia Librarii, unquam *Hiona* fingere potuiſſet. Præterquam quòd temporis ratio fabulam confutet. Cæſar enim Germanicus huc militem reduxit, ergo non in *Hiona* ſeu IUHONUM COLONIAM; quam, immunito præſidiô, à Corbulone conditam fingunt; utpote qui, totos XXX. annos poſt Germanicum Cæſarem, Germaniæ demum impoſitus fuit; Neque *nuperæ Coloniæ* conditio ferat, IV. minimum Legionum hiberna. Cùm con-
(d) II. An. 8.23. ſtet (d) Germanicum ex VI. Legionibus, quas eâ æſtate in hoſtem duxit, majorem partem ſibi reducendam ſumpſiſſe. Igitur Tacito longè alia mens, longè alia loquela. Narrat ſiquidem; *Germanicum ſecundâ expeditione in Cheruſcos, duxiſſe ex Inſula Batavorum VI. Legiones cum expeditâ manû, quas ibi convenire prædixerat. Atque expeditione confectâ, Legionum alias, itinere terreſtri, in hibernacula* [priſtina ſcilicet cis Rhenum] *remiſiſſe. Plures, ipſum Cæſarem, claſſi impoſitas, per flumen Amiſiam Oceano invexiſſe: Denique poſt adverſa Maris, proſperâ expeditione in Chattos Marſoſque, penſata, ſuum quoque Militem reduxiſſe in HIBERNA*; (uti, poſt Beroaldum, jam omnes legunt,) quæ fuerant cis *Rhenum* in Inſula Batavorum & alibi in Gallica ripa: Non in HIONA, neque IUHIONA, monſtra vocabulorum, quorum alterum Lipſius, alterum Rhenanus temerè quondam defenderunt, eo nomine ambo caſtigandi, ipſo Lipſio judice, & cum illis Groningæ noſtræ Illuſtrator.

Quod ad alterum locum attinet, Annalium XIII. Ejus emendatio, meâ quidem ſententiâ, magis etiam expedita eſt: Licet nulli hactenus, quod ſciam, accuratè indicata: Ut res plana fiat: explorandum ante omnia; Quis Tacito narrationis nexus: Tum, quænam Civitates *Germaniæ*, ſub illud tempus, Romanorum Sociæ; Dein, ſi quæ Colonia, in illarum aliqua extiterit, quæ nuper fuerit condita; Denique inſtituenda comparatio inter veram & vitiatam ſcriptionem. Rerum narratarum nexus, præter ſolius temporis, nullus foret, niſi copulam adverſativam SED interpoſuiſſet Author. Poſtquam enim executus fuit res geſtas ejuſdem anni, & ultimo loco Germanicas; Duo ſubnectit Prodigia, quæ locis longiſſimè disjunctis acciderunt: Uti ferè Hiſtoricis omnibus in more eſt poſitum; Poſt actorum ſeriem, Fata publica promiſcuè recenſere. Cæterum Tacitus, hoſtium diſcordiâ lætus, quâ nihil majus Fortunam præſtare
(e) G.c.34. poſſe, alibi profeſſus eſt (e); Cùm proximè expoſuerat, bellum inter *Hermunduros & Chattos*, his, ſubinde Imperio Romano rebellantibus, exitioſum: Connectit rei gratiſſimæ in Germania geſtæ, per copulam SED, triſte Fatum, quod Sociæ Civitati accidit, ab ignibus terrâ editis. Quaſi diceret; *Hic annus lætus quidem, Romanis per Germaniam, Chattorum exitiô; SED triſtis, Sociæ Civitatis incendiô.* Satis itaque innuit Sociam illam Civitatem eſſe ex Germanis. Atqui harum

harum omninò tres, ætate Taciti ([f]) cognitas fuiſſe conſtat; *Ubiorum*, *Batavorum* & *Mattiacorum*. *Ubios* quidem diſertim *Socios* ([g]) appellatos, jam à ſe in amicitiam P. R. receptos, ipſe Cæſar ([h]) teſtatur. Igitur ex hiſce tribus, manifeſtò illa deſignatur, in qua Colonia nuper condita; Quæ in *Batavis* tùm quidem nuſquam; Nuſquam etiam in *Mattiacis*; Quinimo nuſquam totâ Germaniâ Inferiore cis & ultra *Rhenum*, oſtendi poterit; Niſi in ſolis *Ubiis*, & tum quidem unica & nuper condita, annis VIII. ante prodigioſum incendium à Julia Agrippina Aug. Claudii Uxore, Neronis Matre; tum ob natalium ſuorum memoriam, tum quod Avus Agrippa huc primus traduxerat *Ubios* ([i]), ut arcerent tanquam Socii, non ut cuſtodirentur ceu bello capti. Cluverius ([k]) quidem de Colonia idem credit; quia ſine nomine, heic tantum nuper condita dicitur, ceu ſic ſatis cognita per deſcriptionem *Agrippinenſis* præcedenti Libro expoſitam. Sed diverſum de Socia Civitate, quam ultra *Rhenum Ubiis* oppoſitam ſtatuit; Ubi juga Montium igni concipiendo apta dicit, non docet. Prodigium igitur prodigio cumulare maluit; quòd ſcilicet flammæ jam anteà prodigioſæ, novô prodigiö, ingentem quoque *Rheni* alveum tranſvolarint, corripuerintque *Coloniæ Agrippinenſis* mœnia; quàm credere in Ubiorum Civitate fuiſſe excitatas, ne per prodigium quidem. Quaſi hîc non æque ac trans *Rhenum*, torridâ æſtate, etiam citra prodigium (ut hoc Tacito non demus) exſiccatæ *paludes*, vel uſtiles illi ceſpites, qui in ericetorum ſuperficie creſcunt, ignem concipere poſſint, qui ut omnia circum, ita etiam continentis Coloniæ mœnia invaſerit. Tacitus ſiquidem nobis narrat ignes humi proſerpentes, jactû lapidum, immò ictu fuſtium acceſſibiles: Non eructatos montibus inacceſſis inſtar Ætnæ, vel Veſuvii. Tralatitium quippe apud agreſtes noſtros eſt, prævalido ericetorum incendio, decerptis arborum ramis decutere fruticum contas, ut flammæ tardius concipiantur & minus longè proſiliant. Atque hoc eſt, quod Tacitus vocat; *ictu fuſtium*, *aliiſque verberibus*, *flammas ut feras abſterrere.* Noſtri, de Heyde geeſſelen. Secundum hæc audacter aſſevero, à Tacito ſcriptum fuiſſe; SED CIVITAS UBIORUM SOCIA NOBIS, &c. A quo non adeò aberravit Codicis Florentini Librarius, qui VIBONUM exſcripſit, unicâ litterula I. tranſpoſitâ tantum; ſi enim illa poſt B. collocetur, quivis facilè cognoſcet *Ubiorum* debere legi: nulla habitâ ratione, quòd virgula ad caput litteræ *v.* nimis fortè depreſſâ ſpeciem *n.* præ ſe ferat. Qui denique IUHONUM legerunt, in pari fere cauſſa ſunt, niſi quòd *b.* litteram, fortè infra non ſatis circumductam, *h.* eſſe crediderint. Igitur & hîc caſtigandos putem doctiſſimos Interpretes, magis etiam quàm indoctos Librarios. Atque hæc de Civitate, falsò IUHONUM creditâ, diligentius diſcutienda duxi; ut à Politiſſimo Tacito deformem nævum, & à Patria, ſincerô ornatû ſatis decorâ, omnem fucum amolirer.

(f) G. 28. 29.
(g) XII. An. 26.
(h) B. G. IV.
(i) XII. An. 26. G. c. 28.
(k) G. A. III. 8.

L.

I. LACUS.

TAcitus in *Friſiis* hoc vocabulô LACUS diverſimodè utitur,
propriô nomine nuſpiam indicatô. Plurium numerô ſemper :
Alicubi ſpeciatim deſignans *Immenſum* illum *Flevonem*, de quô ſuprà,
quem *Friſii* ambiunt : Alibi, unà cum hoc, *Æſtuaria* ſeu *Maria illa*
vadoſa, quibus ipſi *Friſii* bonam partem ambiuntur, nobis **de Watten**
(a) I. An. 60. dicta. Sic, de prima expeditione in Cheruſcos ([a]); *Ipſe Germanicus,*
in Rheno, impoſitas navibus IV. Legiones per LACUS, [Flevonem ſc.
& Mare Vadoſum] *vexit ad amnem Amiſiam.* *Vadoſum* autem *Mare*
(b) d. l. c. 70. tunc navigaſſe, patet ex reditu ([b]); Quando *Legionum*, *quas navibus*
vexerat, II. & XIV. itinere terreſtri, P. Vitellio ducendas tradidit,
quò levior [quam in itu] *claſſis vadoſo mari innaret.* Verùm alterâ ex-
peditione, *per Foſſam Druſianam, LACUS inde & Oceanum uſque ad*
(c) II. An. c. 8. *Amiſiam flumen pervectus* dicitur ([c]) : Ubi, per LACUS, ſolus ite-
rum *Flevo* intelligitur. Qui alibi *Æſtuariorum* nomine comprehenſus
(d) XI. An. c. 18. quoque reperitur ([d]).

(e) Lib. LIV. Cæterum Dio ([e]), ſingulari numero, LACUS meminit, in
quo Druſus, ex *Friſiis* in *Chaucos* proficiſcens, in periculo fuit. Quod
ſi per hunc LACUM, non intellexit, cum Tacito, *Maris Vadoſi*
quandam partem; Licet id mihi equidem veroſimile non ſit, cùm
(f) d. L. LIV. Oceano advectus dicatur ([f]). Vix eſt, quòd hic LACUS, alius
habeatur, quàm Sinus ille ad *Stationem Amiſiam*, in quam etiam Germanicus filius, claſſes ſuas ſemper pervexit, in *Chaucos* & ultra iturus; uti modo dictum, & ſupra quoque ad *Stationem Amiſiam.*

II. LAURI.

IN Tabula Itineraria, parte inferiore *Inſulæ Batavorum*, intra *Caninefatum* fines, ſignatur locus ad *Rhenum*, nomine LAURI. M. P. XII. infra *Fletionem*, & V. ſupra *Nigrum Pullum.* Qui hodiè, hoc ſitu eſt, vocatur 't **Hof**/ id eſt, *Hortus.* Num ibi ab antiquo Horti fuerint, in quibus nutritæ & à frigore defenſæ LAURI, ignotæ his terris arbores; atque ab illis loci nomenclatura, nemo facilè affirmaverit, citra temeritatis notam; quantumvis à vero non abhorrere videatur.

III. LEVEFANUM.

LEVAM quandam Deam, apud *Batavos* ſaltem & *Friſios*, cultam fuiſſe, tum ex hoc loco, tum ex alio, in oppoſitâ Friſiorum ripâ, cui hodieque nomen **Levendal** / id eſt, LEVÆ VALLIS, Cluverius (a) rectiſſimè colligit. Sed ſub quo fictitio numine, neque ille, neque quiſquam alius, quod ſciam, hactenus definivit. Quod ſi Germanicum vocabulum fuerit LEWE, Nomen hodieque tam Viris quam fœminis imponi ſolitum; idem Veteribus ſignificans, quot **Wit** / **Wet** / **Wijs** / **Vroet** / id eſt, *Sapiens*. A **Lewe** enim **Liouwe** / **Lowe** / variantibus dialectis, ſupereſſe novimus Januario menſi nomen **Low-Maand**; quia ſolennis mutandis Magiſtratibus, quos **de Low** / **de Wet** / **de Withept** / **de Wijshept** / **de Vroetſchap**; vocabulis ſynonymis, tum olim, tum hodie ferè appellant. Conſentaneum foret, hanc LEVAM fuiſſe unam ex Virginibus illis Indigenis, quibus Divinitatem ineſſe credebant, propter eximiam ſapientiam, quæ & omnibus aliis attributi Nominis ratio; uti infrà (b) pluribus exemplis comprobabitur.

Fuit autem FANUM LEVÆ ſactum M. P. VIII. infra *Grinnes* & XVI. ſupra *Fletionem*, ſecundum Tabulam Itinerariam (c) in *Batavorum* ripa. Proximè itaque ſupra *Batavodurum* vicum, vel fortè in hoc ipſo. Quicquid in diverſum diſputat Cluverius, contra manifeſtam Tabulæ fidem pugnat.

(a) G. A. III. 36.

(b) Ad Nehal. Sacell.

(c) Vid. S. ad Caſt. Herc.

IV. LUCUS.

LUCOS duos Tacitus memorat. Alterum in *Friſiis*, *Baduhennæ* Deæ ſacrum, de quô ſuprà dictum. Alterum in *Batavis*, ſacrum quidem & ipſum; ſed quem, tacitô Numinis vocabulô, *Nemus* tantum *ſacrum* dixit; de quo infra ſuo loco.

V. LUGDUNUM.

CEltas Veteres, per omnem ferè Europam, Græciâ & Italiâ exceptis, ejuſdem matricis linguâ uſos fuiſſe, inter alia quam plurima, perſpicuum eſt ex **Duyn** / vocabulo *Montem* omnibus ſignificante: Unde Romanorum *Dunum* & Græcorum *Dounon*. A quo locis pænè infinitis nomen inditum, per *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Illyricum magnum*, *Britanniam*, *Germaniam*. Quorum ampliſſimum, nec tamen plenum, catalogum contexuit Buchananus (a). Et licet pleriſque harum Gentium

(a) Rer. Scot. Lib.

tium vetus vocabuli ſignificatus interierit : Apud *Morinos* tamen & *Batavos* & *Friſios* conſtanter perdurat ; immò & apud *Brittannos*, quibus aliquis Friſicæ linguæ uſus ſupereſt. Occurrunt autem loca quædam, quibus ex **Lug** ſeu **Loug** / aut *Lougos*, uti quidem Romani & Græci enunciarunt, & ipſô, haut dubiè, Celticô vocabulô, ac **Duyn** / nomen compoſitum eſt LUGDUNUM. In Aquitania, nempe, *Lugdunum Convenarum*, quod, ſerius ex antiquiſſimis ruinis reſuſcitatum, antiqui nominis nullum veſtigium ſervavit, ſed à novo Conditore, *Fanum S. Bertrandi* hodiè vocatur ([b]). In Celticâ, *Lugdunum Seguſianorum*, *Lyon*. In Belgicâ Duo; *Remorum*, quod & *Lugdunum Cloatum* in numo Sirmondi ([c]), hodie *Laon*; Et *Batavorum* **Leijen**. Denique procul in *Germania magna*, apud *Bojos* vel *Marcomannos*, ut videtur, Ptolemæo ([d]) ſignatur quoddam *Lugidunum*. Ego quidem Celticum **Loug** / idem planè eſſe putem, quod Friſicum **Loeg** : ita enim appellamus aggregatas habitationes ad commune Fanum, à verbo **Loegen** / quod eſt ordinatim componere. LUGDUNUM itaque, nihil aliud Celtis denotavit quàm locum contiguis ædificiis, in monte vel ad montem, habitatum ; **Een Loeg / in⸗ofte op de Duynen.**

(b) Adr. Vales. ad Vocem. Convenæ.
(c) Ap. Harduin. de Num. A. Pop. Urb. &c.
(d) Geog. II. c. 11.

Latinorum Veterum omninò Duo, qui egregia illa monumenta, *Itinerarium* & *Tabulam* nobis reliquêre, mentionem faciunt LUGDUNI *ad Rhenum*, in *Batavorum Inſula* ; Et quidem uterque M. P. X. infra *Albiniana*. Cui poſituræ non alter convenit locus, quàm **Leijen**/ Urbium Hollandicarum, poſt Amſtelodamum, maxima, ſed *Rheno* diviſa, atque adeò partem mediam Friſico hodiè in ſolo.

Quòd bello Civiliano jam extiterit, non facile conceſſerim Cluverio ([e]), ſaltem non, quòd fuerit remotius ex duobus illis Caſtellis *Oceano* proximis, à Romanis Cohortibus, tum inſeſſis, ac metu *Caninefatum*, *Friſiorumque* incenſis. Primum enim ad ipſum Oſtium fuiſſe, ubi *Brittenburgi* ruinæ, agnoſcit Cluverius. Secundum autem *Romæoburgi* collocat antiqua Inſcriptio lapidis, ex veteris Arcis ruinis, ibidem eruti ([f]). Quæ diſertim indicat Caſtra Cohortis & quidem XV. Voluntariorum illâ in Arce fuiſſe. Igitur Principatu Vitellii LUGDUNUM hîc nullum fuit, aut certè non fuit alterum ex duobus illis Cohortium Caſtellis; Niſi quis LUGDUNUM, tum etiam ambitû ſuo complexum arbitretur illud ipſum Armamentarium ; atque adeò Urbium maximis magnitudine parem facere non verecundetur; contra omnem antiquitatem, quæ nullum Opidum totâ Inſulâ novit, nedum tantæ amplitudinis Urbem. Tempore autem, quo Itinerarium & Tabula, quibus utimur, deſcripta fuere, LUGDUNUM primum quidem locum ab *Oceano* occupat & CAPUT GERMANIARUM dicitur; ſed nullâ aliâ de cauſſâ, quàm, quòd Caſtellum in littore tum fortè nondum fuerit inſtauratum, vel denuo exciſum : Minime verò quòd ita appellari meruerit, ceu Urbium Utriuſque Germaniæ maxima. Ptolemæus ([g]) uno contextu jungit, ad

(e) G. A. Lib. II. 36.
(f) Supra Ad Armamentar.
(g) Geog. II. c. 9.

ad Oceanum in Batavis, *Oſtium Rheni occidentale*, *Lougodeinon*, & *Oſtium Rheni Medium* : Vulgò quidem *Lougodeinon* primo loco reperitur; ſed conſtans progreſſus ab Occidente in Orientem ſatis evincit, mediô eſſe reponendum; hoc modo;

Batavorum; quæ Oceanum ſpectant, ſic ſe habent;

Rheni fluvii Occidentale Oſtium	26.	30.	53.	20.
Lougodeinon	26.	45.	53.	20.
Medium Oſtium fluvii	27.	0.	53.	10.

Atque tum deprehenditur Lougódeinon ab Oſtio Occidentali M. P. IX. A Medio XIII. eô planè ſitu, quô hodiè **Loosdunen**, quaſi **Loegsdunen**. Aberraverimne Author in hoc, à vera diſtantiâ, vel ejuſdem pænè nominis locum, cum LUGDUNO AD RHENUM, verè hîc eſſe cognoverit ? temerè definire nolim. Nomen certè & ſitus pulchrè conveniunt. Et nemo abſurdum putabit, in *Batavis* duo extitiſſe LUGDUNA; cùm duo etiam *Batavodura* fuiſſe, ſupra demonſtratum ſit : Hodieque extent ejuſmodi exempla paſſim complura.

M.

I. MANARMANIS.

PTolemæus (a) Septem, non amplius, *Oſtia* agnoſcit, quæ, ſua ætate ſubiri potuêre *Oceanum* navigantibus, totô *Batavorum* & *Friſiorum* littore, à *Morinis* in *Chaucos*. *Moſæ* unum, *Rheni* tria, *MANARMANIS* unum, *Amaſii* duo. Medio itaque loco MANARMANIS collocatur inter *Rheni Orientale*, cui *Flevum* nomen, & *Amaſii occidentale*, quod *Vidrum* vocari infrà pluribus oſtendetur. Diſtat autem Ptolemæo, ad Unciarum quidem gradatarum numerum, hic Portus, ſeu Oſtium Portus, à *Flevo* M. P. XXXV. à *Vidro* XXXI. Marcianus Heracleotes, qui in Periplo Ptolemæum peſſimè exſcripſit, quadrifariàm errat, in nomine, in ordine, in numero; Bis in nomine; ex ore Rheni Orientali, faciens Occidentale; Et ex MANARMANI, *Mararmanum*. Ordinem turbat; *Vidrum* mediô, *Mararmanum* ultimô locô recenſens. Numerum Milliarium denique auget ad Stadia CCCLXXX., id eſt, M. P. XLV. & quidem utrimque à medio æqualiter. Abſurdè omnia, ideoque planè negligenda. Secundum theſin Ptolemaïcam autem MANARMANIS PORTUS intratur ab *Oceano* per illud Oſtium, quod eſt inter *Amelandiam* & Inſulam verſus Orientem proximam, cui, à Monachis albâ veſte diſtinctis, nomen **Schiermonik-oge** / uſitatiſſimè à Nautis **Scholbalg** dictum. Hoc enim exactiſſimè M. P. XXXV. ab *Orientali Rheni* ſeu *Flevo* disjunctum patet: Et ab *Occidentali Amaſii*, ſeu *Vidro*, veriſſimè ad Unciam VI^am. in gradu longitudinis; ad V^tam Latitudinis, ſed non abſolutas; quas tamen ubique ponit Ptolemæus, licet, ad primam vel ſecundam, vel tertiam, vel quartam poſtremæ Unciæ Sexageſimam, loci theſis tantùm pertingat. Quod perpetuò obſervandum moneo, quoties, inſtitutâ differentiarum collatione, proveniens diſtantia verum modum excedere deprehenditur. Si igitur hoc loco, prima tantùm Utriuſque Unciæ Sexageſima ſumatur, exit intervallum M. P. XXV. circiter, quod ad Uncias conſummatas XXXI. eſt, uti dictum. Atque hoc modo extimæ diſtantiæ, à Ptolemæo ἐν πλάτει indicatæ, ſua quoque ratio reverà conſtat. Portum ipſum, quod attinet, is Sinus Maris Oceani eſt, olim longè patentior, quam hodiè, inter *Oſtrogoam* & *Marnam*, quæ Agri Groningani portio eſt, uberrimo ac edito in ſolo, cujus Cultores nobis **de Marnſters** / Majoribus fortaſſe plenius **de Marnamans** dicti fuêre. A quibus haut dubiè MANARMANIS nomen, tum Portui, tum Oſtio indidit Ptolemæus, loco MARNAMANUS; uti & Marcianum (b) legiſſe putem. Idque optimâ ratione; Quia ad *Marnamanorum* oram, ubi

Unſingis

(a) Geog. II. c. 9. & 14. per.

(b) In Periplo.

Unſingis effluit, Portus, in intimo receſſu, ab Aquilone, id eſt omnibus promiſcue ventis Septentrionariis, ipſo etiam Coro (c) ſatis tutus, Romanis quondam habitus & compertus. Exonerantur enim in hunc ſinum *Unſingis*, & rivus **Lauwers**/ à quo hodiè **de Lauwers-zee** vocatur; duplici jam Oſtio patens, quorum recentius *Oceanus* tandem ſibi apetuit ad Orientem *Schiermonicogæ*. Huc verò iter primum, ab *Amiſiâ* Statione ad *Rhenum*, diteriſſe Germanicum, à priore expeditione in *Cheruſcos* reverſum, claſſe cum duabus Legionibus; Et P. Vitellium, itinere terreſtri, cum alteris duabus, Tacitus luculentiſſimâ narratione, de qua alibi ſæpius, omnino indubitatum fecit. Somnô fortè interceptos fuiſſe oportet (nam aliquando bonus dormitat Homerus) qui contra veritatem tam manifeſtam, & demonſtrationem pæne mathematicam; MANARMANEM Portum ab Oceano, in contrariam *Friſiorum* oram, à mari remotiſſimam, per inſomnia credo, tranſportarunt; Ad principium nempe *Flevonis* Lacûs, ubi *Foſſa Druſiana* aquas *Rheni* & *Vechtæ* in illum ſpargit. A refellendis eorum argumentis conſultò abſtineo, ne neceſſitate quâdam adactus, inclementius dicere cogar in Viros Illuſtres, ob ingentia merita cunctis venerandos. Sunt & alii, qui Portum quidem hunc à Littore non removent, ſed in Occidentale *Amelandiæ* latus rejiciunt, errore ex dictis jam ſatis manifeſtô; de quo tamen denuò ad **Burdipe** *Parte II.* erit dicendi locus.

(c) Tac. l. Ann. c. 70.

II. Mannaritium.

Itinerarium, quod Antonini vulgò dicitur, habet iter à *Lugduno* ad *Argentoratum*. Et in hoc, quartô locô, MANNARITIUM, vel, ut quidam Codices legunt, MANNARIACUM, in *Batavorum* Inſula. M. P. XV. à *Rheni Trajecto*. XXII. verò à *Carvone*. Quæ, cùm ambo explorati ſitûs ſint, MANNARITII certiſſimam theſin pariter demonſtrant; medio ferè viæ, quæ *Asperâ* ducit ad *Vahalis* ripam *Bommelæ* Opido adverſam. Sed nullum, in proximo, antiqui nominis veſtigium. Cluverius (d) itaque & alii plerique Geographi, ex MANNARITIO fecerunt **Maurik** vicum ad lævam *Leccæ* ripam, quaſi **Mantrik** quondam dictum, qui à *Trajectô* quidem abeſt XV. illis M. P. verùm à *Carvone* XII. tantùm. Et facilis Librariorum feſtinantium error, ejuſdem notæ geminatio, qui hîc quoque commiſſus eſſe potuit; atque ſcriptum XXII. loco XII. Sed tum rurſus illud obeſt; Apud **Maurik**/ nihil unquam repertum, quod antiquitatem Romanam ſapiat. Et ſi omninò redundet una ex notis X. hoc Itinerarii locô: Quidnî abjicienda de primis illis XV.? Ut diſtantia ſit à *Trajectô* M. P. V. tantùm; à *Carvone* verò illis XXII. Quem in ſitum pæne incidit *Wiltaburgii* & *Vechtæ* rudus, indies magis magiſque nobilitatum eruderatis illuſtribus monumentis. Quorum numos quatuor jam olim edidit Buchelius (e); Et Dedicationem unam

(d) G. A. II. 36.

(e) In Notis ad Becam pag. 6. Et ad Hedam pag. 7.

 IOVI.

IOVI. O. M. SVMMO
EXSVPERANTISSIMO. &c.

(f) Miſcell. E. An. Sect. III. 2. nuper Sponius (f). Mihi etiam oſtenſam à Litteratorum Principe Grævio, qui, datâ occaſione, nec reliqua invidebit eruditæ Antiquitatis ſtudioſis. Ut dubium nullum ſit, hunc locum aliquando Romanis fuiſſe frequentatum. Quo tandem nomine, niſi MANNARITII noſtri? viderint perſpicaciores. Equidem nihil definio: eligat quiſque quod maximè placet. Cluverii ſaltem emendationem XXII. in XVII. nequaquam admitti poſſe, ex diſputatis ad *Carvonem*, liquidiſſimum eſſe putem.

III. Marci. Imp. Columella Milliaria.

EST vicus in Caninefatibus ad radicem arenariorum Collium M. P. IV. ab *Occidentali Rheni Oſtio*, quod *Helium*, cui nomen **Monſter**. In hoc reperta fuit, ſuperiore ſeculô, COLUMELLA MILLIARIA, quam MARCUS IMP. cum Lucio Verô fratre & Collega, mox ab Antonini Patris Adoptivi exceſſu, ibidem conſtituerat Anno Ær Chr. vulgaris CLXI. quô MARCUS III. Lucius II. inierat Conſulatum. Ita enim lapidi inſcriptum fuiſſe nemo, opinor, ambiget. Licet Pighius, M. Smetius, Gruterus, immò ipſe Scriverius legerint;

MARCO. CO XIII. LVCIO. COS. II.

quô nihil abſurdius: Cum ſatis conſtet Tertium Conſulatum MARCO ſupremum fuiſſe. Nihil obſtante Gruteriana Inſcriptione (a), (a) pag. CCLX. 1. quæ quidem meminit Quarti Conſulatus & Trib. Poteſtatis XVIIII. Sed erroneæ lectionis ſatis convincitur ex ſubſequente 3. Ubi MARCUS jam viceſimùm Trib. Pot. necdum ſæpius quam III. COS. fuiſſe dicitur. Tantùm IV. deſignatus inſcribitur apud Smetium (b) (b) Fol. I. 11. fortaſſe ultimo vitæ anno; Quia hujus nihil in Faſtis. Nota X. igitur hîc malè expreſſa vel lecta, locô *S.* litteræ, antecedentibus duabus *CO.* omninò jungendæ. Lapſu perfacili, maximè ubi oculorum acies haut ſatis aſſequi valet litteras fugientes. Præterquam, quòd in alio lapide, qui extat apud Smetium (c) (c) Fol. XXVII. 5. clariſſimè ſculptum conſpiciatur

IMP. CAES. M. AVRELIO
ANTONINO. III. IMP VERO
AVGVSTO. COS. II.

com-

commiſſi erroris documentum planè invictum. Cui accedunt Inſcriptiones aliæ duæ, Quarum una, ſecundum Mauroceni ſcedam, & altera, ſecundum Guillimanni ([d]) Tertio Conſulatui MARCI jungitur eadem numero Trib. Pot. XVI. quæ eſt in COLUMELLA. Cæterùm diſſimulare nolim, me in ipſo marmore, ex quo quidem ſceda Guillimanni eſt, nec volam nec veſtigium inveniſſe numeri XVI. Extat autem *Genevæ* ad Ædem Petrinam latere auſtrali.

(d) Grut. Inſc. CCLVIII. 10. & CCXX. 2.

Reliqua, ad hanc COLUMELLAM pertinentia, repeti poſſunt ex dictis ad *Forum Adriani*, ubi ipſa Lapidis forma & inſcriptio exhibita.

IV. MARSATII.

EX IV. Pagis ſeu Inſulis *Friſiorum* in ipſo *Rheno*, ſitu infimum, ideoque *Oceano* proximum, MARSATIIS Plinius ([e]) tribuit; Hoc proceſſu ferè uſus, ut à ſuperioribus & mediterraneis, ad inferiora & littoralia deſcendat. Et Tacitus ([f]) eodem locô MARSACOS collocat: Nempe poſt *Caninefates* ([g]) ex *Nerviis*, trans *Moſam*, iiſdem excurſibus infeſtatos. *Friſii* itaque fuêre ripam *Rheni Caninefatibus* adverſam colentes, longo tractu ſecundùm littus; Quos paullo ante in ſocietatem belli accitos memoravit. Quæ, procul dubio, cauſſa fuit Labeoni hos æque ac *Caninefates*; cùm bellô non poterat, furtim incurſandi, Prædonum & Piratarum in morem. Eſt & Romæ, ſub Capitolio, vetus inſcriptio ad aram marmoream, quæ MARSAQUÆORUM Nationis meminit ([h]). Quam de MARSATIIS *Friſiis* libenter intellectam volunt Scriverius ([i]) & Cluverius ([k]). Quicquid ſit, ex tribus hiſce appellationibus, Pliniana vernaculam omnium optimè exprimit; Meerſaten enim Friſii præſignificanter appellarunt Populares ſuos, quorum omnis ager *Lacubus* & *Oceano* ferè ambiebatur. Quia Germani Inferiores Lacum Meer Oceanum Zee vocant; Superiores contrà, Oceanum Meer / Lacum Zee. Unde Meerſaten / qui inter Maria habitant; Eâdem formâ, quâ Landſaten / Onderſaten / Holtſaten / Elſaten / &c. id eſt, In een Landſchap geſeten / onder eemant geſeten / in 't Holt geſeten / an den El- of Ilſtroom geſeten / &c. Uti hîc, an de Meeren geſeten. MARSATIORUM ergò Pagus, à Fronte habuit *Oceanum*; à Tergo Lacus plurimos & citrà *Friſiabones*; à Læva *Caninefates* cis Rhenum; à Dextrâ *Sturios* trans alveum pertentem *Salæ*, per *Rhenum Flevumque* abacti. Diu poſt Romanorum tempora *Comitatus Kinhemenſis* nomen, maximam partem, recepit, qui hodiè vulgò Kennemerland dicitur. Ora in Aquilonem vergens ſinu Oceani hauſta. Urbes non niſi duas hodiè complectitur *Harlemum* & *Alcmariam*, in qua priſci vocabuli aliquod veſtigium ſupereſſe videtur; Quod etiam clarius extat in Marsdiep / *novo Oſtio*, ad hodiernæ *Hollandiæ* ſeu *Weſtfriſiæ* limitem aquilonarem.

(e) H. N. IV. 15.
(f) IV. Hiſt. 56
(g) Vide ſuprà in Caninefatibus.
(h) M. Smet. fol. XXCIX. 14.
(i) In Tab. p. 230
(k) G. A. III. 11

Vehementer errarunt, quod pace tantorum Virorum dictum velim, qui MARSATIOS MARSAÇOSve, non modo procul ab *Oceano* ultra montes *Amisfordienſes* removerint; ſed etiam *Friſios* fuiſſe negarint: Partem licet cujuſdam Inſulæ Friſiorum habitantes; (l) G.A.III.13. *Marſis* tamen ortos. Scilicet heic iterùm Cluverius ([l]) vocum ſimilitudine abreptus, in pervertenda optimorum Authorum ſententia ingenioſus, quàm in explicanda ſimplex, eſſe maluit. Quaſi verò **Marſch** & **Meer** / vocabula Germanica, ſint ejuſdem originis & ſignificatus: Atque idem ſit, dicere **Marſchters** / quod **Meerſaten**; Cùm totô elementô differant: **Marſchen** enim ſeu **Marſchlander** à quibus *Marſis* nomen, ſunt agri editiores, ubere glebâ arenis permiſtâ, aratro & ſementi, præ reliquis, aptiſſimi. Quid Mari, quid Lacubus, quibus nomenclationis ſuæ originem debent MARSATII, cum his commune?

Qui MARSACOS, extritâ Litterâ R; *Maſacos* dici debere putant à **Maſe** / id eſt, *Moſa* flumine, nimis futiles ſunt, ab ipſo Cluverio etiam exploſi.

V. MATILO.

VOcabulum, merè Germanicum eſſe videtur, compoſitum ex **Mat** / **Made** / **Mede** / **Mae** / & **Lô**. Quorum alterum *Pratum* denotat; Unde Friſiorum **Deymat** / id eſt, *Diurnum Fœniſecæ penſum.* Alterum *Editum.* Quod autem antiqui **Mat-Lô** dixêre; Nos hodie paſſim **Hoge-Meden** / **Hoge-Made** / **Hô-Mae** vocamus, quaſi **het Hoge-Mayveld** / id eſt, *Editum Pratum.*

Eſt quidem vicus, non procul adeò ab adverſa *Friſiorum* ripa, nomine **Homâe**; ſed, in citeriore *Batavorum*, hodiè nullus, antiquo ſitu: Qui tamen vel maximè certus eſt, ex Tabula Itineraria; Cui MATILO ſignatur mediô viæ inter *Lugdunum ad Rhenum* & *Albiniana* (m) G.A.II.36. M. P. V. hinc & inde. Cluverius ([m]) locum hodiè ædificiis vacuum, adverſâ ripâ vicum **Coudekerk** / proſpicere aſſerit.

VI. MEDIOLANIUM.

(n) Geog.II.c,11. CLaudius Ptolemæus ([n]), deſcriptis *Germaniæ Transrhenanæ* finibus; loca maritima, ultra *Rhenum Orientalem*, ad *Oceanum*, Collum *Cimbricæ Cherſoneſi*, *Sinumque Codanum*, primò recenſet, vel ſaltem recenſere voluit; Deinde Parallelum proximè interiorem; Et ſic deinceps alios. In Longitudine, à *Rheno* in *Viſtulam* & *Sarmatas*, conſtanti ferè progreſſu Orientem verſus. In Latitudine verò à *Mari Germanico* & *Suevico* ad *Danubium*, de Climate in Clima ad meridiem quidem; ſed in Climatibus ſingulis, proceſſu & theſibus adeo perplexis utitur, mo-

dò proſum ad Arctum, mox rurſum ad Auſtrum excurrendo, ſa-piuſculè extra Clima indicatum, ut pæne deſperatum ſit cuncta in verum ſitum componere. Neque in hæc omnia inquirere præſentis inſtituti eſt, immo ne explicare quidem quid de quamplurimis ſentiam: Cùm auſtralia Climata duo nihil omnino ad nos pertineant; Duo reliqua ſex ſummum locis. In quibus, ſecundò à Mari climate, reperitur MEDIOLANIUM ordine tertium: Procul dubio *Friſiorum* intra fineis; quicquid vulgò in diverſum diſputatur. Abeſt ſiquidem MEDIOLANIUM *Navalibus* ſeu Gemenuden / Minutiis XXX. verſus Septentrionem in Latitudine; totidem numero in Longitudine verſus ortum. Igitur, ſcalâ indice, univerſim M. P. XXXV. in Aquilonem Septentrionalem. Quæ diſtantia exactiſſimè pertingit ad oram ſiniſtram Lacus, quem *Unſingis* amnis perfluit. M. P. X. ſupra Urbem *Groningam*; Ubi in ipſo agri *Groningani* & *Treutonum* confinio, locus eſt, à multis ſeculis, ſaltem ante Henricorum Principatum (o), AD TRES LARES dictus; duas Parœcias complectens à plaga diſtinctas, cum intermedio Vico pertenui, cui à ſitu nomen MIDLAREN. Ex quo MEDIOLANIUM fecit Ptolemæus, quod MEDIOLARIUM rectius vocaſſet. Et quidni ita reſtituendum opinarer, cùm ſitus, & præſens nomenclatura pariter, apprimè conveniant? Conſpiciuntur hic immania ſaxa, alia aliis impoſita, ceu Pelion Oſſæ. Opus, palàm, non virium humanarum, ſed ingenii: adeoque non Barbarorum manibus quantumvis gigantæis, ſed Romanorum machinis architectonicis conſtructum: Incertum in cujus rei monumentum; licet paſſim ejuſmodi complura exſtent.

(o) Vid. C. Kemp. Hiſt. Friſ. Lib. II. c. 11.

Atque ex his manifeſtum putem; quantum aberrent, qui MEDIOLANIUM Ptolemæi cis *Rhenum* quærunt, idemque faciunt cum Itinerarii *Mediolano* in *Gugernis*: Vel trans *Rhenum* quidem, quod par erat; ſed, procul à *Flevo*, in extremis *Bructeris*; Ubi hodiè *Monaſterium*, Urbs, *Weſtvaliæ* Princeps. Nullam tam ſubleſtæ ſuæ opinionis rationem proferre auſi.

VII. MENAPII.

COlluviem Transrhenanorum fuiſſe putem, ex diverſis Civitatibus & Pagis, qui initiò, circa primum *Rheni* divortium, vacuos agros, utraque in ripa amnis nondum bicornis, occuparunt. Et mox, pluribus admigrantibus, alios, iterumque alios; uſque dum ſibi acquiſiverint quicquid terrarum intra *Rhenum* & *Scaldim* eſt, ab *Eburonibus* in *Batavos*. Quibus tandem finibus in unàm Rempublicam & communem Civitatem coaluêre. Quam Germanico vocabulo De Meenacht vel Meenaſſt / id eſt, *Populi Univerſitatem* ritè appellare potuerunt. Meene enim vel Meente / pro quo hodiè Gemeente dicimus, Latinè *Populus* eſt. Et Acht *Congregatio in unum corpus.* Quod præclarè cognoſcitur ex Veteri Codice (p) Legum Groninganarum, in

(p) Lib. VI.

in quo paſſim *Senatus Populuſque* appellatur Borgemeſteren ende Raad met de Meenacht. Neque Acht de minoribus Societatibus hodiè prædicari apud nos deſiit, veluti Dijkacht / Zijlacht / &c. id eſt *Univerſitas agros poſſidentium, qui iiſdem aggeribus, iiſdemque commatibus aquas arcent vel emittunt.*

Sed Superiores Germani ex Acht; Afft / vel Hafft facere ſoliti, pro Meenacht / pronunciarunt Meenhafft. A quo MENAPII Romano ore efformati. F. vel ♦. Littera in P. mutatâ; uti quoque factum in Arlape & Erlaff Norici fluvio, aliiſque ſimilibus. MENAPIIS autem à Meente vel Meene nomen eſſe, nemo ultrà ambiget; qui plurima Regionis loca, inde porrò cognominata perſpexerit; Comitium, Aquæ, Paludes, Edita, Plana, Silvæ, Deſerta, Villæ, &c. Quibus adjectivum Menet / contractum, ut fieri ſolet in Me'et / hodieque præpoſitum deprehenditur. Sic Meet-ſel / plenè Menet-ſaal / notat *Menapiorum Comitium*; nam Sellen / eſt unà convenire; atque Geſel / *Socius*; Geſelſchap / *Societas.* Me'et-A / Me'et-ik / Me'et-beke; *Menapii amnes.* Me'etiks-plas; *Menapii amnis Fons vel Palus.* Me'et-broek; *Menapiorum paluſtria.* Me'et-Al; *Menapiorum Edita.* Me'et-feld / Me'et-land; *Menapii campi & agri.* Me'et-hout; *Menapia Silva.* Me'et-ode; *Menapium deſertum.* Me'et-hem; *Menapiorum Villa, Vicus* vel *Opidum*, & quæ ſunt ejus generis plura.

De tempore tranſmigrationis nil certi aut definiti à Veterum quoquam annotatum reperio. Saltem Quinque Populis, qui *Germani* primitus, poſteà *Tungri* dicti, priorem fuiſſe conſtat: immò & *Batavis*, quantum conjecturâ aſſequi licet: Nam vix eſt, cur hi immigraſſent in Inſulas illas inter Vada, ſi vacuos agros ſupra *Rheni* divortium, ſiccâ in humo occupare integrum fuiſſet. Sub C. Julii Cæſaris ſanè adventum, jam antiqua his ſedibus Gens fuit, viribus præpotens, ſed nimiùm fidens; ac ſtolidè adeo ferox, ut *Galliarum* Victorem, quem cuncti pavebant, ne Legationis quidem officio dignata fuerit (q). Quæ cauſſa Cæſari immittendi Legiones in MENAPIORUM fineis, ut eorum agros vaſtarent, frumenta ſuccidetent, ædificia incenderent (r). Quibus malis identidem fracti, tandem, datis Obſidibus (ſ), in poteſtatem Romanorum conceſſêre ut Dedititii, qui noluerunt ut Amici. Dedititiorum enim in morem ab Auguſto habiti, maxima & optima agrorum parte cedere debuerunt, in quam deportavit, Tiberii ductu, captivos Sigambros Cattoſque, qui Suevorum (t) Socii fuerant: Transrhenanis agris jam antea ab *Uſipetibus* & *Tencteris* ejecti (u). Unde perſpicuum eſt, non iiſdem finibus ſemper conſtitiſſe. Ævo Cæſaris enim ad utramque *Rheni* ripam, agros, ædificia, vicos habuêre (x). Cætera, *Batavis*, *Eburonibus*, *Aduaticis*, *Morinis* contermini, de quibus inter omnes conſtat. Sub Auguſto, non modò cis *Moſam* ſe continere, ſed ad *Scaldim* quoque *Taxandros ex Cattis* captivos recipere juſſi. Poſt Veſpaſianum *Moſam* iterùm tranſgreſſi ſunt; niſi omnino nos fallat Ptolemæus (y), qui MENAPIOS ſuâ ætate, poſt *Moſam* fuiſſe

(q) Cæſ. Bell. Gal. Lib. III. fin. & VI. princ.
(r) Cæſ. IV. fin.
(ſ) Id. VI. pr.
(t) Suet. in Oct. Aug.
(u) Cæſ. B. G. IV.
(x) Cæſ. d. l. & Strab. Lib. IV.
(y) Geog. Lib. IV. cap. 9.

fuiſſe tradit. Licet poſtea, *Scaldim* etiam ſuperatunt, Germanicam linguam *Morinis* inferentes; Quorum fidem faciunt; tum Tabula Itineraria, quæ *Caſtellum in Morinis* Berg Caſſel / MENAPIORUM vocat; tum *Morinorum* Opidum *Menariacum* hodiè Merchem & *Merville*; aliudque Menen / quibus à MENAPIIS nomen eſſe putatur; tum denique Nortmannorum Geſta, quibus *Cortoriacum* in MENAPIIS vel MENAPIORUM finibus; Et Vitæ S. Amandi Author, cui etiam *Turnacum* MENAPIORUM Urbs dicitur: quam rectè; in medio tamen relinquo, cum ipſo Valeſio ([x]), qui hæc ſuggeſſit.

([x]) Not. Gall. in Menap.

Hodiè non adeò lata Gens eſt, intra *Demeram* quippe amnem, qui cum *Getâ*, *Dilâ* & *Nethâ*, *Rupelæ* nomine, *Scaldim* intrat, & ipſum *Scaldim Moſamque* arctata: Partemque maximam ſub dicione & manſuetudine communis *Batavorum Friſiorumque* Reipl. Urbes tamen complectitur ampliſſimas, *Antverpiam*, *Silvam Ducis*, *Bredam*, aliaſque minores complures.

VIII. Morini.

MEnapiis finitimos eſſe ad Mare MORINOS, diſertim tradit Strabo ([a]); & reliqui Veterum certatim confirmant, Cæſar, Plinius, Tacitus, Ptolemæus, Dio, alii. Hos autem Mela ([b]) Gallicarum Gentium ultimos veriſſimè appellavit, qui enim, poſt *Inferiorem Scaldim*, *Gallias* incolunt, *Germanos* fuiſſe ſatis conſtat ([c]). Falluntur, qui extremos hominum illos exiſtimarunt; quia Virgilius ([d]) poeticâ auxeſi ita appellavit. Nomenclaturæ etymon unde ſumendum, iteratò nobis inculcat Cæſar ([e]): Regionem nempe illorum eſſe frequentem paludibus, vernaculè Moeren dictis, à quibus ipſe Populus MORINI; Et qui paludibus præeſt, apud Flandrienſes, etiam hodiè Moer-Graaf vocatur. Atque hoc non ſatis perſpexerunt, qui à Mari nomen acceſſunt, communi cum *Aremoricis* etymô. Cæſaris ævô nec Urbes, nec Opida habebant, tantùm in tuguriis habitantes, ſi fides Dioni ([f]). Poſteà innotuêre; *Taruanna* Opidum Mediterraneum, quod ad Carolum V. Imp. perennavit, Ptolemæo, Itinerario, Tabulæ memoratum; Item *Bononia* ad *Fretum Britannicum*, ubi *Itius* ſeu *Geſſoriacus portus*; Deinde *Caſtellum*, *Menariacum*, *Viroviacum*, de quibus idem Itinerarium & Tabula; Notitia Imperii ([g]) haut obſcurè addit *Cortoriacum*, mentionem injiciens Militum Cortoriacenſium; Eſt & pervetuſta Inſcriptio apud Gruterum ([h]) MINERVÆ CUR. LADÆ poſita, quæ meminit COLONIÆ MORINORUM, incertum, quem in locum, quo tempore, vel à quo deductæ. Quicquid de *Taruanna* conjicit A. Valeſius. Non negaverim tamen Romanos in Metropoles, quâ figura Tabulæ *Tervanna* eſt, Colonias deducere ſolitos.

([a]) Geog. L. IV.
([b]) de S. O. Lib. III.
([c]) Plin. N. H. Lib. IV. c. 15.
([d]) Æneid. IX.
([e]) B. Gall. III. ſu. & IV. ſu.
([f]) Lib. XXXIX.
([g]) Sub Mag. Ped. Præſ. Occid.
([h]) P. LXXX. 6.

Fuere autem MORINORUM fines; à læva & fronte *Oceanus*; à Dextra & Tergo *Scaldis* & *Legia* amnes, ab hujus ripa ad *Itium Portum* lineâ ductâ. Regio toto Orbe, *Flandria* nomine, finibus tamen, ultra utrumque flumen, haut parum prolatis, dudum celeberrima; ſed Germanis maximam partem habitata: Qui utrum ſint *Menapii*, veteres MORINORUM ſocii, an *Taxandri*, *Franci*, *Saxones* vel recentiores alii, jam in medium relinquo. Quotquot aquilonaria colunt, ad illum alveum, quô, Cæſari & Ptolemæo [i], *Scaldim Moſa* defert ad *Oſtium* 't Zuin / ſunt hodiè in Dicione Fœderatæ Reipl. noſtræ. Reliqui Francicum vel Hiſpanicum tolerant Imperium perpetuâ belli ſede vexatiſſimi.

(i) Vide infra ad Oſt. Moſæ.

IX. MOSA.

NObiliſſimum Galliæ flumen eſt, quod Celtæ & Germani, prò variâ dialecto, Moos / Maas / *Meuſe* vocant. Latini & Græci MOSAM. De nominis origine hoc dici poteſt; illud à fonte ad Fluvium emanaſſe: Lacus enim ubi ſcaturigo, in Itinerario & Tabulâ MOSA appellatur. Oritur autem ex Monte *Vogeſo*, hodiè *la Vauge*, qui eſt in finibus *Lingonum*, M. P. XII. tantùm ab ipſa Metropoli *Langres*, Itinerario & Tabulæ *Andemantunum* dictâ. Atque hinc M. P. non minus CCXL. per fineis *Leucorum*, *Mediomatricorum*, *Treverorum*, *Tungrorum*, *Menapiorum* fertur ad *Batavos*. Et poſt LXXX. M. P. ab agri *Batavi* principio, tranſit in *Oceanum*, unà cum parte *Rheni*, quæ *Walis* appellatur, ſuoque divortio *Inſulam* efficit *Batavorum*. Qui aliter Cæſaris verba [k] interpretantur; quaſi inter MOSAM & *Walim* poſuerit prædictam Inſulam: Næ illi ſummum Authorem & diligentiſſimum Commentatorem, nimis irreverenter, ſtoliditatis inſimulant; Ac ſi ignoraverit verum Inſulæ ſitum vel vicinorum pueris notum, qui annum integrum, in proxima *Batavorum* viciniâ, debellandis *Menapiis* & *Morinis* ipſe tranſegit.

(k) Bel. Gal. IV.

Ductus MOSÆ, per *Batavos*, non idem hodie eſt, qui fuit ætate Cæſaris aut Romanorum. Olim non alia cum *Rheno* conjunctio, quàm in ipſo Oſtio communi ad Mare. Hodiè frequens, quà arte, quà tempeſtatum vi patefacta. Veterem quidem alveum, qui ad Confluentes Geervliet / olim Vahali jungebatur, accuratè adeò perveſtigavit Cluverius [l], ut nihil à quoquam addi poſſit. Sed præter hunc non agnovit alterum divortientem, ad principium agri *Flacceënſis*, circa terga *Taxandrorum*, qui inter *Saftingam*, *Hulſtam*, *Axelam*, *Iſedicam*, *Oſtburgium*, *Sluſam*, viam ſibi aperuit, per Oſtium 't Zuyn / quod diſertim MOSÆ appellat Ptolemæus [m] licet *Scaldim* quoque deferat; ſed, ſecundum Cæſarem [n], à MOSA, jam receptum inter Saftingen & Hogerwerve. Reliqua de hoc MOSÆ oſtio, ſuô locô dicentur. Sufficit hîc demonſtraſſe, Veteribus duo fuiſſe agnita. Unum cum *Rheno* commune. Alterum cum *Scalde*,

(l) G. A. II. 31.
(m) Geog. II. c. 9.
(n) d. Lib. IV.

quod

quod poſtremum à Plinio ([o]) non minus rectè *Scaldis* Oſtium dictum (o) IV. H. N. c. 13.
arbitror, quam prius illud, à Ptolemæo, *Rheni Occidentale.* De quo
etiam Tacitus promiſcuè; ſemel ([p]), *Vahalis id vocabulum mutat MO-* (p) II. An. 6.
SA flumine, ejuſque immenſo ore in Oceanum effunditur. Iterum ([q]), (q) V. Hiſt. 23.
MOSÆ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit. Quidnî idem de al-
tero liceret aliis?

Quæ inter utrumque conſpiciuntur *æſtuariorum* aperturæ, ceu ſunt; **Brouwershavens-Gat / Veergat** & **Hont** / tum nondum Oſtia fuêre ſubvehendis onerariis commoda, uti hodiè; Sed tantùm Capita, quibus permiſti amnes, *Scaldis*, *MOSA*, *Rhenus* in *Oceanum* quoque influebant. Quod enim de *Rheno* ceu Principe hîc aſſerit Cæſar ([r]), (r) Bel. Gal. IV.
id de omnium confluxu accipiendum, facile quivis agnoſcet.

N.

I. NABALIA.

(a) V. Hiſt. fin. APud ſolum Tacitum (a) fit mentio NABALIÆ fluminis; Et ita quidem legunt Codices pleriqne omnes, Budæi & Corvini exceptis: Quibus legitur *Flabalie* vel *Flabile*, nullô vel inexplicabili ſenſû, teſte Vertraniô. Hiſce tamen non obſtantibus, maximi nominis Interpretes NABALIÆ vocabulum expungendum cenſent, vel ejus locô ſubſtituendum *Vahalis*: Quia hoc notum *Batavorum* tractû, alterum nuſquam. Expunctio quidem mihi res peſſimi exempli ſemper viſa fuit: Quid enim fieret, de optimis quibuſvis Scriptoribus, ſi unumquodque vocabulum, uni ſemel dictum, ſemper foret reſecandum? Nec *Vahalis* ſubſtitutionem narrationis ſeries admittit. Nam Civilis Batavorum Dux, qui, in ſciſſo hujus fluminis ponte, colloquium cum Cereale petiit, trans *Rhenum* conceſſerat exul & extorris; (b) Vid. d. l. c. 23. & 24. Cerealis verò in ipſa *Batavorum Inſula* erat (b) cum Romanis Legionibus. Igitur inter utrumque Collocutorem hic fluvius, fluviique pons medius eſſe debuit; minimè verò ſuper *Vahale*, quo pervenire non potuit, niſi per medias Legiones Romanas, quibus adeò non fidit, ut etiam in ſciſſo Ponte colloquium ſtipulari voluerit. Fateor inuſitatum Romanis vocabulum eſſe, ſed potuit Barbaris fuiſſe vulgatiſſimè receptum; ideoque Tacito præſignificanter, hac occaſione, adhibitum.

Sic igitur ſtatuo; Civilem, animadverſô *Friſiorum* animos jam à Cereale inclinatos, ab iis in *Bructeros* ſe contuliſſe ultra *Foſſam Druſianam*, quam Germani, ex re, ceu alterum *Vahalem* & *Rheni* abactorem, ſuâ linguâ **de Nawale** / id eſt, *Vahalem Poſteriorem*, admodum concinnè vocare poterant; ſed fortaſſe non totam, & eâ tantùm parte, quæ eſt inter *Rhenum* & Veterem *Salæ* alveum, quà & Pontem (c) Geog. Lib. III. 17. colloquii fuiſſe, omninò veriſimile fit. Quod & Cluverio (c) noſtro placuiſſe video & lætor, tantô Authore ſuffultus.

Ecquis, hiſce probè perpenſis, non fatebitur; Tacitum haut parum diſtinctius Germanicô vocabulô NABALIÆ, partem tantùm fluminis deſignante, fuiſſe uſum; quàm ſi Romanum *Foſſæ Druſianæ*, quod in *Flevonem* Lacum extenditur, adhibuiſſet?

II. NA-

II. Navalia.

PTolemæus ([a]) Opida, vel ſaltem loca celebriora, trans *Rheni* alveum orientalem & tertium, recenſens, ponit & quoddam, cui NAVALIA nomen. Singulari an plurium numero; haut liquet: Fô ferè ſitu; ubi hodie *Campi* vel *Mada ulterior*, **Genemuyden** hodiè dicta, ad differentiam Citerioris, quæ eſt in Occidua Lacûs orâ ad alterum *Vechtam*, *Anchorum* & *Friſiabonum*, nî fallor, diſtinctorem: Uti ſic ſatis demonſtratum eſt ad *Aſciburgium* & *Medialanium*, quò Lectorem amandatum velim. (a) Geog. II. c. 11.

III. Nehalenniæ Sacellum.

T*Axandrorum* angulo in *Oceanum* prominentiſſimo, repertam Non. Jan. CIↃ IↃC XLVII. enneadem litteratorum lapidum, DEÆ NEHALENNIÆ inſcriptorum, Miſcellaneis ſuis verè Eruditæ Antiquitatis ([b]) inſeruit litteratiſſimus Sponius. Et, ante ipſum, (unicô minus) Th. Reineſius Gruteriano ſuo ſupplemento ([c]). Ante utrumque autem Olivarius Vredius, & numero plures ſuis Flandriæ Antiquitatibus, idque haut paullo luculentiùs, adjectis quippe ipſis Imaginum picturis. Ex quibus colligunt; Sacellum quondam fuiſſe, ubi hodiè arenarum cumuli, *Domburgium* inter & *Weſtcapellam*, *Walcherenſia* opida, in quo *Taxandri* vota, pro felici navigatione & negotiatione, ſuſcepta, ſolvere conſueverunt Numini, maritimos æſtus moderanti; nomine NEHALENNIÆ, ſeu NEHALLENNIÆ forte & NEHAEL. Quod ex Ebræo vel Chaldæo *Nehar*, id eſt, *flumine*, formatum nullus dubitat Reineſius. Vredius è diverſo certus eſt, Græcum id eſſe à Νέα Σελήνη. Σ, uti ſæpiùs in H. mutatô. Quia ſcilicet, quantum conjicio, Novæ Lunæ virtus, quaſi præſentis Deæ, evidenter adeò ſe exſerat in Maris reciprocatione, ut Undarum Regina fuerit habita; Cui etiam tutelam menſis Novembris, quo periculoſiſſima navigatio, commiſſam credidit antiquitas. (b) Sect. III. n. XC. (c) Claſſ. I. n. 177. 184.

Uti nihil eſt, quod ambigam de SACELLO aut de Numine, ipſius etiam Novæ Lunæ, ſecundùm Vredium; Ita peregrinam nominis notionem planè nullam heîc admittendam putem. Cùm ſatis conſtet, Diis Patriis peregrina nomina nunquam eſſe quæſita. Lunam autem fuiſſe DEAM, ab antiquo Germanis domeſticam, Cæſar ([d]) teſtis eſt. Cui nomen duplex ſuô idiomate impoſuêre. Unum à menſtruo ortu & obitu **Maan**. Alterum à ſplendore, quem videbant, **Licht / Schein / Hel** / quæ ſynonyma. NEHALENNIA itaque nihil aliud eſſe videtur, quàm NIE HEL, id eſt, *Novum Lumen*, quod Germani ſuperiores ho- (d) B. Gal. VI.

dieque **Neu Schein** vocant, *Lunam Novam* deſignantes, uti per **Alt-**
(e) P. LXXXIX. 1. **Schein** *Veterem*. Quæ apud Gruterum (e) reperitur Inſcriptio

DEAE NEHAEE.

Ad hanc ipſam NIEHEL pertinere vix dubium eſt: *E.* namque penultimum; vel, ſi mavis, ultimum, aut *L.* verè fuit, aut eſſe debuit; adeoque ſcriptum, non truncato (ut vult Reineſius) ſed integrô vocabulô, NEHALE vel NEHAEL. Dialectô tantillum à NIEHEL diverſâ.

Ejuſdem originis Celticæ ſunt & reliqua nomina omnia, quibus Romanorum ſcripta aut monumenta inſignivêre Deas Germanorum. In Dearum ſiquidem cultum & ſexus fœminei venerationem proniores
(f) G. c. 8. fuiſſe, ex Tacito (f) diſcimus. Uſque adeò, ut etiam Virgines quaſdam, domi apud ſe natas, atque ſuperſtites, DEAS non tam fecerint quâdam adulatione, quàm verè tales eſſe crediderint.

(g) Ad Baduh. De *Arduhenna* alibi (g) dictum; quòd **Aarde**/ id eſt, *Terram* nomine præferat. Quam Germani ſuperiores, tradente Boxhorniô (h),
(h) Ad Tacit. Germ. c. 39. ab **Erd**/ *Hertam* dixêre.

Perinde de *Baduhenna* ſeu *Pada* ſtatuendum, quòd ſcilicet fuerit Dea Semitalis, à **Paden**/ id eſt, *Semitis* ſic appellata.

Neque aliter de *Tanfana*, niſi quòd Dea Paluſtris ſeu Præſes Paludum: Cùm **Than** ſeu **Dan** veteri Celtarum linguâ *Præſidem* ſignifi-
(i) R. S. Lib. VI. f. cet, teſte Buchanano (i), & **Fenn** *Paludes*.

Eadem expoſitio eſt Veteris Inſcriptionis inter monumenta Naſſovica in **Bergendal**/ quæ omninò talis;

DEAE
HLVDANAE
SACRVM.
C. TIBERIVS
VERVS.

Deam nempe hanc, id nominis adeptam à **Lüde** *Populo*, & **Dan** *Præſide*. Quod autem Romanis TUTELA POPULI, vel GENIUS PUBLICUS, id Germanis DEA LUDANA, id eſt, *Numen Populi Præſes*, fuiſſe videtur.

De Deabus Indigenis denique ſeu Virginibus fatidicis, nulli dubium erit, quin vernaculis nominibus fuerint indigitatæ; ceu ſunt, *Auriniæ*, *Velledæ*, *Gannæ*, id eſt, *Solertes*, *Sapientes*, *Providæ*. Vulgari appellatione necdum oblitteratâ **Alruintjes**/ **Witte of Gawe Wijſ-ſes**.

jcs. Kunſt enim Celtis antiquis *Ars* eſt. Wit / *Sapientia.* Gauw / *Perſpicacia.* AURINIA igitur ſeu Alruin / eſt omnium artium. VELLEDA ſeu Veelweet / multæ ſapientiæ; quod & de LEVA DEA jam dictum ([k]). GAUNA vel Gauw magnæ perſpicacitatis. Atque hæc obiter, occaſione NEHALENNIÆ, de nominibus DEARUM Utriuſque Germaniæ Inferioris, quæ quidem Romanis accepta ferimus. [(k) Supra ad Leveſanum.]

IV. Nemus Sacrum.

Julius Claudius Civilis, *Batavus* Regiæ ſtirpis, à Romanis deſciſcendi certus, Primoribus Gentis & promtiſſimis Vulgi, epulas exhibuiſſe Tacito ([a]) narratur. Ut lætitiâ calidos in defectionis aſſenſum faciliùs perduceret. Huic autem convivio delegiſſe SACRUM NEMUS; locum haut dubiè à *Rheno*, ubi Romanorum caſtra, remotiorem; immò extra *Batavorum Inſulam*, in qua erant *Caninefates*: Quia ad illos *trans Vahalem*, demùm miſſum fuit; poſt Convivantes in ſacramentum Patrium adactos. Et hinc porrò ad *Friſios trans Rhenum*. Quoniam verò *Batavis* tum unicum tantùm Opidum fuit, extra Inſulam, verſus *Moſam*; de quo aliàs, ubi Civilis & Labeo & Primores alii domicilia habebant; vel certè Conventus agere ſolebant; uti colligere eſt ex opidano Civilis & Labeonis certamine ([b]). Cluverius ([c]) noſter, per ſummam rationem conjicit, propè hoc, fuiſſe NEMUS illud SACRUM, hodiè licet penitus exciſum; Atque in illo, Leuen vicus, tum fortè Ara LEVÆ DEÆ, (de qua alibi) ([d]) dicata, ceu Nemoris Præſidi. Quam & Loeveſteniæ arci, aliiſque homogeniis, Auctorem nominis eſſe credidit.

[(a) IV. Hiſt. 14.] [(b) d. l. IV. c. 18.] [(c) G. A. II. 37. fin.] [(d) Ad Leveſanum.]

V. Niger Pullus.

Est locus ad Rheni ripam, parte Inferiore *Batavorum Inſulæ*, qui unicæ Tabulæ Peutingeranæ vocatur NIGER PULLUS, vocabulô compoſitô, uti alia plura, ex Latino & Germanico. Poel enim ſeu Polder nobis dicitur, quæ Latinis *Palus.* Quarum heîc circum magna frequentia. Aliâ aliis magis nigreſcente, ab atra & ſulfurea gleba, quæ in uſum foci effoditur & exſiccatur: Ad talem igitur Paludem, cui à nigerrimo & optimo Glebarum genere NIGRA, id eſt, Swarte Poel / nomen, hujus loci ſitum fuiſſe, & à ſitu denominationem non admodum dubito. Haut ignarus licet, aliis à ſigno NIGRI PULLI, ad diverſoriam tabernam fortè ſuſpenſo, ita vocari. Sed conſideraſſe velim Viros optimos; quòd Veteres, tum aliâ loquendi formâ perpetuò uſi fuerint, ad quam ſcriptum oportuiſſet,

ſet, non NIGER PULLUS, verùm AD NIGRUM PULLUM. Exempla obvia ſunt & pænè infinita.

Cæterùm, cujuſcunque demum conditionis fuerit hic NIGER PULLUS, Tabula illi locum aſſignat M. P. II. infra *Albiniana* & V. ſupra *Lauros*, qui omninò eſt ad Paludem de Streeter Polder hodiè
(a) G. A. II. c. 37. dictam. Quæ Cluverius ([a]) hic mutat in numeris, alibi jam ſæpiùs exploſa ſunt, & nemo non, ſolidâ ratione deſtituta, per ſe agnoſcet.

VI. NOVIOMAGUS.

CElebertimum hoc nomine Opidum eſt, tùm Romanorum, tum mediâ, tum noſtrâ ætate, ad ſiniſtram *Vabalis* ripam, *Batavorum* in ſolo, quô nullum aliud, totô *Rheni* tractû, plura antiquitatis monumenta, viſceribus ſuis uſquam reclusit. Multis licet antiquitate poſterius. Neque enim animum meum inducere poſſum, ut credam il-
(b) V. Hiſt. 19. lud, ipſum eſſe, quod Tacito ([b]) Opidum *Batavodurum*, vel, uti
(c) Geog. II. 9. vulgo legitur, *Batavorum*; Ptolemæo ([c]) certè *Batavodurum* vocatur, totâ Regione Primum & diu unicum, ſaltem uſque ad Veſpaſiani Prin-
(d) Ad Bat. Op. & Batavod. cipatum, uti ſuprà ([d]) demonſtratum; Præclariſſimè perſuaſus, ſitum, quem Utrique tribuunt Veteres, tanto invicem ſpatio diſtare, quantum hodieque permetiendum eſt inter *Batavoburgium* & NOVIO-
(e) Ad Caſt. Ulp. MAGUM. Quod denuò demonſtraſſe non abs re erit. Supra ([e]) jam inculcatum eſt, *Vetera*, exploratiſſimæ poſitionis locum, à *Batavoburgio* diſtare ad M. P. XXXIIX. Ptolemæus *Batavodurum* ſuum infra *Vetera* ponit M. P. XLI., ſed ad Uncias, ut ſolet, conſummatas, quibus ſi detrahas, minutiarum quantum par, eadem prodibit diſtantia. Rursùm inter *Vetera* & NOVIOMAGUM ad rectam lineam, vix ultra M. P. XXX. numerari poſſe, quilibet fateatur oportet. Tabula Itineraria habet totidem. Nempe M. P. XX. à *Veteribus*, ad *Burginatium*, quod eſt in agri *Batavi* principio, adhuc M. P. X. ſupra NOVIOMAGUM: ſuperſunt igitur M. P. VIII. ad *Batavodurum* Ptolemæi, ſeu *Opidum Batavorum* Taciti. Quæ propè vera diſtantia eſt inter Urbem *Noviomagenſem* ad *Vahalim*, & Arcem *Bateburgenſem* ad *Moſam*.

Ultima Memoria NOVIOMAGI noſtri, eſt ab Unica Tabula Itineraria, eaque honorifica & jam tum Primariæ Urbis figurâ. Incertum à quonam Imperatorum repetenda: Cùm Tabula illa, inde ab Auguſto ad Theodoſium & ultra, nova paſſim receperit augmenta: Nec in Veterum Romanorum ſcriptis aut monumentis, quod ſciam, ejus ullum præterea extet indicium. Niſi quòd lapides litterati quatuor hodie in Urbis Arce & Curia conſpiciendi, Legionis X. Gem. hiberna, hoc in loco aliquandiu fuiſſe, haut obſcure prodant. Nomen Latino-Celticum eſt, ex *Novo* & *Mago*, tot Galliarum Opidis commune, *Noviomagus*, *Nivomagus*, *Neomagus*; ſecundùm Tabulam,

Ptole-

Ptolemæum ([f]), Auſonium ([g]), alios. In *Biturigibus*, *Vibiſcis*, *Tricaſtinis*, *Vadicaſſiis*, *Lexoviis*, *Lingonibus*, *Remis*, *Nemetibus*, *Treveris*. Præterquam quòd infinita loca alia per omnem Celticam Veterem variis agnominationibus, ut *Julii*, *Cæſaris*, *Auguſti*, *Claudii*, &c. à *Mago* receperint ſuas quæque nomenclationes. Celtica autem ſeu Germanica vox eſt Mâgen/ Megen/ Miegen/ Meijen/ pro dialecti varietate, ſignificans ſanguine vel affinitate propinquos: Deducta à Maagd/ Megd/ Meyd/ id eſt, *Puella*, à qua omnis propinquitatis origo; unde connubio jungi, nobis hodieque dicitur Vermaagſchappen/ Vermiegſchippen/ Vermeijen. Atque hinc, tot undique locis nomen Magen/ Megen/ Meijen inditum, quam maximè veroſimile eſt: Quoniam, qui initio junctas inter ſe ſedes patiebantur, plerunque ſanguine vel affinitate eſſent propinqui. Uti diſertim de Illyriis affirmat Appianus ([h]). Conſentaneum itaque ut Primi nullo additamento Mâgen; ſubſequentes Nieumâgen fuerint appellati; donec nimia frequentia multifarias illas agnominationes, diſtinctionis ergò, produxerit. *Batavi* NOVIOMAGUM ſuum vernaculè vocant Nieumegen/ vel contractiùs Nimmegen. *Treveri* ſuorum alterum, Meyen duntaxat; quia forte conditû prior, Alterum Nümagen. Quam eandem dialecti diverſitatem obſervare licet in celebri *Saxoniæ* Urbe; ab eâdem hâc origine, Aliis Maagdeburg/ aliis Meyburg dicta. Tabulæ Peutingeranæ, hactenus ſuæ integritati reſtitutæ, *Batavorum* NOVIOMAGUS eodem planè ſitu eſt, quem hodiè magnâ celebritate obtinet M.P. XXX. à *Caſpingio*, *Cis Vahalem*; Ultrà, à *Caſtris Herculis* M.P. VIII. ab *Arenatio* X. Neque jam repetere lubet, quæ, ad ſingula hæc loca, firmandæ huic theſi, ſuperiùs explicata ſunt.

(f) Geog. II. 7-10.

(g) in Moſella.

(h) De Bell. Illyr.

O.

I. OBTRICENSE MOSÆ OPIDUM.

POpularis error doctis indoctiſque hactenus impoſuit, Opidum **Maaſtricht**/ quod Fœderata noſtra Reſpl. hodiè in *Tungris* ad *Moſam* tenet, Romanis dictum fuiſſe OBTRICENSE; Et ejuſdem ævi Germanis **Obtricht** vel **Ober-tricht**; uti **Under-tricht** *Trajectus Rheni*, qui hodiè **Utrecht**. Unde illud Barbatum, *Trajectum Superius* & *Trajectum Inferius*, proximis retrò ſeculis ſcitè & doctè ſecundum antiquos, dictum putatunt. Sed hos, qui ita putant, rogatos primùm velim; Utrum Romani ex Germanico **Obtricht** fecerint OBTRICENSE? An verò Germani ex Romano OBTRICENSE, ſuum **Obtricht**? Non prius; quia, ipſum vocabulum **Tricht** & **Trecht** à Latinorum *Trajectu* eſſe, nemo ambigit; Neque poſterius; Cùm OBTRICENSE nihil minus quàm Latinitatem ſapiat. Si quis Trajectus hoc loco Romanis cognitus fuiſſet; Illum quidem Latinè OB TRAIECTUM dicere potuiſſent; Immò & Germani, ſolitô flexu **Op 't Tricht**/ id eſt, **Op 't Veer** / vel **Au 't Veer**: Sed ad hoc Romanus Author nobis opus eſſet, qui nuſquam. Francorum primus, qui Urbis Trajectenſis in Tungris meminit, eſt Gregorius
(a) Hiſt. l. 1. c. 5. Turonenſis (a). Qui verò Primus ex **OP 't TRICHT**/ quod Latinè OB TRAIECTUM (ſi unquam fuit hoc nomine) fecit TRAIECTUM SUPERIUS: Næ ille, nec Latinè, nec Germanicè intellexit. OB enim vel OP. hîc, non *ſupra*, ſed *Ad* denotaſſet. Præterquam quòd rectô caſû, non TRAIECTUM, ſed TRAIECTUS Latinè dicatur; Et inficeta relatio ſit Superioris & Inferioris à *Moſâ* ad *Rhenum*. Cæterum hæc, quantumvis abſurda, Viros etiam doctiſſimos rapuerunt tranſverſos, ut cœcutierint ad
(b) Lib. XX. Am. Marcellini locum (b) tam fœdè, contra clariſſimam ejus mentem, corruptum; atque crediderint; OBTRICENSI MOSÆ OPIDO, rectè ibi ſcriptum de hoc noſtro **Maaſtricht**. Cum nihil æque manifeſtum ſit, quàm Hiſtorico ſermonem eſſe de Opido ad *Rhenum*, quod à ſitû Legionis XXX. OB TRICESIMAM vel OB TRICENSIMAM, id eſt, *Ad Triceſimam* appellatum quoque
(c) Lib. XVIII. c. 2. fuit, & Marcellino alibi (c) TRICESIMÆ, Hîc OBTRICENSIMÆ OPIDUM: Ex quo inſcitus Librarius, veteris locutionis ignarus: OBTRICENSI MOSÆ facere non dubitavit: Arbitratus ultimam ſyllabam MAE, per abbreviationem, eſſe MOSÆ; uti ex diligentiſſimo A. Valeſio jam ſupra (d)
(d) Ad Caſtra Ulpia. demonſtratum eſt. Opidum igitur **Maaſtricht** Romanis vel planè incognitum,

cognitum, vel nullo nomine memoratum fuit: Niſi fortè PONTIS MOSÆ, de quo Tacitus (e). (e) IV. Hiſt. 66.

II. Oceanus.

PElagus, quod extra *Batavorum Friſiorumque* Inſulas & Brevia eſt, OCEANUM Veteres dixêre, quod intrà alluit Continentis littora, *Mare, Vadoſum, Lacus, Æſtuaria.* Ptolemæus (f) ad Flevi Oſtium (f) Geog. II. 9. pr. & 11. pr. diſtinctionem facit; OCEANUM GERMANICUM vocans, qui ad Orientem eſt; BRITANNICUM, qui ad Occidentem. Plinius (g) latiore appellatione, *Septentrionalem* vocat ad *Rhenum Medium* uſque. (g) H.N. IV. 19. A *Rheno* ad *Sequanam*, *Britannicum.* Cæterum hodiè, & quidem optimâ ratione, totum illud mare, quod ab *Orcadibus* & *Hitlandicis Inſulis* ad Fretum, inter *Germaniam* & *Brittanniam* eſt, à potiore littore OCEANUM GERMANICUM appellamus, & latius; vulgò de Noort-Zee.

III. Ostium Amasii.

EX Septem Oſtiis, quæ, ſecundum Ptolemæum, *Taxandrorum*, *Batavorum*, *Friſiorumque* littora *Oceano* pandunt, Quatuor propria nomina invenêre; *Helium*, *Flevum*, *Marnamanis*, *Wider* de quibus; ſuis locis. Reliqua ſolis agnominationibus fluminum, quorum partem aliquam emittunt, diſcernuntur; *OSTIUM* nempe *Moſæ*, *Rheni medium* & AMASII. De Poſtremo, ut primum dicatur, elementorum ſeries poſcit.

Ex Veteribus unus Ptolemæus (h) idipſum nobis à ſitu deſcribit; (h) Geog. II. c. 11. Quod *Widro* magis orientale ſit, &, verſus ortum ſolſtitialem, M. P. XXVII. disjunctum, uti quidem ſupra ad *Fleum* demonſtratum eſt: Licet arbitrarer, uncias conſummatas hîc iterum pro affectis poſitas, adeoque Sexageſimas quaſdam, ſive in Longitudine, ſive in Latitudine (ſecundum præmonita ad *Manarmanem*) eſſe deducendas, ut fiat vera diſtantia M. P. XXIV., quæ Oceanum navigantibus eſt inter oras orientales Inſulæ, cui, à Veteri Poſſeſſore, Cœnobii Rothemenſis Antiſtite, nomen Rottemer-Oog / id eſt, *Rothemenſis Inſula*, & alterius, cui hodiè *Buſa* nomen; Romanorum temporibus, haut dubiè occiduô ſui latere *Juſtæ*, & hæc *Burchanæ* continens. Oſtium enim, quod hodiè patet inter *Burchanam* & *Juſtam* ipſe uſus *Novum* vocat; uti, per antitheſin; *Vetus*, quod ad Occidentem perdurat priſtinâ amplitudine; Ideoque à Ptolemæo Wider / id eſt, *Latius* appellatum; de quo infra ſuo loco. Orientale autem Ptolemaïcum jam ferè OSTII nomine indignum, certè ſubvehendis onerariis impar, Wilſer-diep / id

 eſt,

eſt, *Alveolus* ad *Buſam* Inſulam à Nautis appellatur. Cui ordine, ad ortum ſuprajungit Ptolemæus, *Viſurgis* & *Albis* Oſtia. Hoc quidem, ſitu congruô; Sed Illud nec *Amiſia*, nec *Albi* conveniente theſi; nempe quæ eſſe debuerat, ſecundùm falſam Geographi noſtri hypotheſin;

Long.		Latit.	
31.	0.	55.	15.
30.	0.	56.	0.

IV. OSTIUM MOSÆ.

DE Ore immenſo MOSÆ, quod Ptolemæo *Rheni Occidentale*, & peculiare nomen *Helium* obtinuit, jam dictum eſt. Hîc de al-
(i) Geog. II. 9. terò dicendum, cujus Theſis apud Ptolemæum [i]

	Long.		Latit.	
	24.	30.	53.	20.
Prioris verò apud eundem adhibitâ tranſpoſitione, de quâ ſupra [k]	26.	30.	53.	20.
Ergò Differentia	110.			0.

(k) Ad Fleum.

Et Diſtantia, verſus Occaſum, M. P. LXV.
Verâ haud dubiè major & quidem Paſſibus Milliariis pluribus, quàm quibus ſufficit remedium affectæ Unciæ, loco conſummatæ, quô ultra M. P. III. hac quidem theſium ſpecie, reſecari non poſſe utique agnoſcendum eſt. Non ignoro, Exemplar Græcum, quô uſus eſt, in caſtigationibus ſuis P. Montanus, habere in Longitudine κ̄ϛ. ʹϛ. id eſt, 26. 10. unde prodiret diſtantia M. P. LIV. tantùm, quæ quidem magis convenit. Sed certus ſum, meliùs ſe habere exemplar Latini Interpretis, quem ut ſequar, inexſuperabiles me impellunt rationes: Quia ſecus turbarentur, orientem versùs, omnes locorum ſitus, jam apprimè convenientes, uti cognoſcere licet ex ſupra demonſtratis ad *Flêum*. Igitur longè præſtat vitium aliquod ſupponere in Theſi illius OSTII, quod MOSÆ vocat Ptolemæus, quàm in alterâ, ab Exemplari Interpretis recedere. Fingamus

in longitudine pro	κ̄δ.	γʹ.	id eſt,	24.	40.
ſcriptum fuiſſe	κ̄δ.	γʹδ.	id eſt,	24.	55.

Et res erit in vado: Cùm diſtantia tum non excedet M. P. LIIX. Quæ mari, circum littus, vera intercapedo eſt, inter Promontorium Beet ad *Helium*, & OSTIUM ad *Sluſam* Opidum, Cui hodiè nomen Zuyn & *Vetus Portus*: Quia Oceano auſtrale Z. O. t. Z. Et reliqua capita hinc ad *Helium*; Portus eſſe & dici longè recentiùs cœpêre. Si quis tamen hanc licentiam, à qua, ut verum fatear, & ipſe abhorreo, non probet; Dicat, per me licet, Ptolemæum ſex ſeptemve M. P. in hoc aberraſſe. Neque enim mihi dubium eſt, reſpexiſſe illum, hoc infimum ad Occidentem OSTIUM, quò MOSÆ aquas pertingere poſſe, non vane credidit: Cæſarem quippe Summum Authorem ſecutus, qui nullum *Scaldis* Oſtium agnoſcit; Quod utique

utique hîc ſtatui debuerat, Foſſâ Ottonianâ nondum actâ, neque aliô Orientali etiamdum extante, niſi vadoſo, ut alia capita multa; quæ *Rheno* communia facere videtur ([l]); Sed flumen *Scaldim* in *Moſam* (l) Bel. Gal. Lib. IV.
influere diſertè aſſerit ([m]), non in *Oceanum*, niſi per *Moſam*. Plinius ([n]) tamen *Scaldim Oceano* jungit, abſque MOSA receptore, (m) Lib. VI.
quod & uſus ſequitur. Quô vitiô, apud Ptolemæum, *Tabudæ* fluvio (n) H. N. IV. 15.
ſeu *Scaldi*, qui ipſi inter *Morinos* & *Tungros*, aliud magis occidentale OSTIUM tributum reperiatur, equidem ignoro. Vitiô autem tributum ſat ſcio: Quia M. P. XLVII. à *Sluſa* Opido, occidentem verſus; Et rurſum à Geſſoriacô Navali, ſeu *Bononienſi ſinu* M. P. XXVIII. verſus orientem; ſecundum Ptolemæi theſin, nullum aliud eſt Oſtium, quàm *Abæ* amnis, apud *Gravelingam*, Oceanum influentis. Quem cum fando non inaudierat Ptolemæus, ſuum *Tabudam* peſſimè ſubſtituiſſe videtur; ut etiam illi Oſtium quoddam relinqueret, locô alterius, quod MOSÆ, Cæſaris exemplô, linea proximâ, transſcriptum iverat. Si igitur legatur

	Long.		*Latit.*	
Abæ fluminis Oſtium	23.	30.	53.	30.

locô *Tabudæ*, omnia ſitu rectiſſimè quadrant.

V. OSTIUM RHENI MEDIUM.

EX tribus *Rheni* Oſtiis, ſolum MEDIUM peculiaris nominis expers. Nec mirum, cum & ipſe Alveus aſcititium vocabulum uſque dedignatus ſit. Ptolemæus ([o]) totidem verbis illud RHENI (o) Geog. II. 9.
MEDIUM vocavit. Mela ([p]) Amnem ad ſiniſtram & donec (p) Lib. III. 2. ſub.
effluat RHENUM. Plinius ([q]) ipſum RHENUM inter *Helium* & *Flevum*, adeoque MEDIUM OS nomen ſuum cuſtodiens. (q) N. H. IV. 15.
Tacitus ([r]) RHENUM nominis ſervantem donec *Oceano* miſceatur. Alii, de uno OSTIO locuti, ſolius RHENI nomine, (r) II. Ann. 6.
hocce MEDIUM deſignarunt. Ad quod ſcilicet frequentiſſimus navium appulſus, ſeu maximè opportunum ſubvehendo commeatui, ad tot Caſtella, horreaque, circa hujus alvei ſiniſtram ripam, directa. Huc enim annonam à *Britanniis* ſuetam transferri, teſtis eſt Am. Marcellinus ([ſ]). Hinc etiam frumenti ex *Britannia* allati, fluvialibus navigiis, (ſ) Lib. XVIII. 2.
adverſo RHENO, ſubvectionem inſtitui ſolitam, tradidit Zoſimus ([t]). Num ex eo ortum ſit *Brittenburgii* nomen, quod, ſine (t) Lib. III.
Veteri Authore, Caſtello fuiſſe dicitur, læva in ora ad OSTIUM quondam ſito? (de quo ſupra ([u])) haut facile aſſeruerim cum Junio ([x]). Veram hujus OSTII theſin ex Ptolemæo, data occaſione ([y]), jam demonſtravi: Fuit longiuſculè in *Oceanum* protenſum, (u) Ad Aram. (x) Bat. c. X. pr. (y) Ad Fleum.
quam hodiè Het Mallegat / ita dictum ob ſtupendam rerum viciſſitudinem, inter Vicos utrimque extremos Katwijk & Noortwijk. Ubi famoſiſſimum hoc OSTIUM objectû ingentium Collium jam peni-

eſt, *Alveolus* ad *Buſam* Inſulam à Nautis appellatur. Cui ordine, ad ortum ſuprajungit Ptolemæus, *Viſurgis* & *Albis* Oſtia. Hoc quidem, ſitu congruô; Sed Illud nec *Amiſiæ*, nec *Albi* conveniente theſi; nempe quæ eſſe debuerat, ſecundùm falſam Geographi noſtri hypotheſin;

Long.		*Latit.*	
31.	0.	55.	15.
30.	0.	56.	0.

IV. OSTIUM MOSÆ.

DE Ore immenſo MOSÆ, quod Ptolemæo *Rheni Occidentale*, & peculiare nomen *Helium* obtinuit, jam dictum eſt. Hîc de altero dicendum, cujus Theſis apud Ptolemæum (i)

(i) Geog. II. 9.

	Long.		*Latit.*	
	24.	30.	53.	20.
Prioris verò apud eundem adhibitâ tranſpoſitione, de quâ ſupra (k)	26.	30.	53.	20.
Ergò Differentia	110.			0.

(k) Ad Fleum.

Et Diſtantia, verſus Occaſum, M. P. LXV.

Verâ haud dubiè major & quidem Paſſibus Milliariis pluribus, quàm quibus ſufficit remedium affectæ Unciæ, loco conſummatæ, quô ultra M. P. III. hac quidem theſium ſpecie, reſecari non poſſe utique agnoſcendum eſt. Non ignoro, Exemplar Græcum, quô uſus eſt, in caſtigationibus ſuis P. Montanus, habere in Longitudine κς. ς'. id eſt, 26. 10. unde prodiret diſtantia M. P. LIV. tantùm, quæ quidem magis convenit. Sed certus ſum, meliùs ſe habere exemplar Latini Interpretis; quem ut ſequar, inexſuperabiles me impellunt rationes: Quia ſecus turbarentur, orientem versùs, omnes locorum ſitus, jam apprimè convenientes, uti cognoſcere licet ex ſupra demonſtratis ad *Flêum*. Igitur longè præſtat vitium aliquod ſupponere in Theſi illius OSTII, quod MOSÆ vocat Ptolemæus, quàm in alterâ, ab Exemplari Interpretis recedere. Fingamus

in longitudine pro	κδ.	γο.	id eſt,	24.	40.
ſcriptum fuiſſe	κδ.	γιδ.	id eſt,	24.	55.

Et res erit in vado: Cùm diſtantia tum non excedet M. P. LIIX. Quæ mari, circum littus, vera intercapedo eſt, inter Promontorium **Bett** ad *Helium*, & OSTIUM ad *Sluſam* Opidum, Cui hodiè nomen **Zupn** & *Vetus Portus*: Quia Oceano auſtrale Z. O. t. Z. Et reliqua capita hinc ad *Helium*; Portus eſſe & dici longè recentiùs cœpêre. Si quis tamen hanc licentiam, à qua, ut verum fatear, & ipſe abhorreo, non probet; Dicat, per me licet, Ptolemæum ſex ſeptemve M. P. in hoc aberraſſe. Neque enim mihi dubium eſt, reſpexiſſe illum, hoc infimum ad Occidentem OSTIUM, quò MOSÆ aquas pertingere poſſe, non vane credidit: Cæſarem quippe Summum Authorem ſecutus, qui nullum *Scaldis* Oſtium agnoſcit; Quod utique

utique hîc ſtatui debuerat, Foſſâ Ottonianâ nondum actâ, neque aliô Orientali etiamdum extante, niſi vadoſo, ut alia capita multa; quæ *Rheno* communia facere videtur ([l]); Sed flumen *Scaldim* in *Moſam* influere disertè aſſerit ([m]), non in *Oceanum*, niſi per *Moſam*. Plinius ([n]) tamen *Scaldim Oceano* jungit, abſque MOSA receptore, quod & uſus ſequitur. Quô vitiô, apud Ptolemæum, *Tabuda* fluvio ſeu *Scaldi*, qui ipſi inter *Morinos* & *Tungros*, aliud magis occidentale OSTIUM tributum reperiatur, equidem ignoro. Vitiô autem tributum ſat ſcio: Quia M. P. XLVII. à *Sluſa* Opido, occidentem verſus; Et rurſum à Geſſoriacô Navali, ſeu *Bononienſi ſinu* M. P. XXVIII. verſus orientem; ſecundum Ptolemæi theſin, nullum aliud eſt Oſtium, quàm *Abæ* amnis, apud *Gravelingam*, Oceanum influentis. Quem cum fando non inaudierat Ptolemæus, ſuum *Tabudam* peſſimè ſubſtituiſſe videtur; ut etiam illi Oſtium quoddam relinqueret, locô alterius, quod MOSÆ, Cæſaris exemplô, linea proximâ, tranſſcriptum iverat. Si igitur legatur

([l]) Bel. Gal. Lib. IV.
([m]) Lib. VI.
([n]) H. N. IV. 13.

	Long.		*Latit.*	
Abæ fluminis Oſtium	23.	30.	53.	30.

locô *Tabudæ*, omnia ſitu rectiſſimè quadrant.

V. OSTIUM RHENI MEDIUM.

EX tribus *Rheni* Oſtiis, ſolum MEDIUM peculiaris nominis expers. Nec mirum, cum & ipſe Alveus aſcititium vocabulum uſque dedignatus ſit. Ptolemæus ([o]) totidem verbis illud RHENI MEDIUM vocavit. Mela ([p]) Amnem ad ſiniſtram & donec effluat RHENUM. Plinius ([q]) ipſum RHENUM inter *Helium* & *Flevum*, adeoque MEDIUM OS nomen ſuum cuſtodiens. Tacitus ([r]) RHENUM nominis ſervantem donec *Oceano* miſceatur. Alii, de uno OSTIO locuti, ſolius RHENI nomine, hocce MEDIUM deſignarunt. Ad quod ſcilicet frequentiſſimus navium appulſus, ſeu maximè opportunum ſubvehendo commeatui, ad tot Caſtella, horreaque, circa hujus alvei ſiniſtram ripam, directa. Huc enim annonam à *Britanniis* ſuetam transferri, teſtis eſt Am. Marcellinus ([ſ]). Hinc etiam frumenti ex *Britannia* allati, fluvialibus navigiis, adverſo RHENO, ſubvectionem inſtitui ſolitam, tradidit Zoſimus ([t]). Num ex eo ortum ſit *Brittenburgii* nomen, quod, ſine Veteri Authore, Caſtello fuiſſe dicitur, læva in ora ad OSTIUM quondam ſito? (de quo ſupra ([u])) haut facile aſſeruerim cum Junio ([x]). Veram hujus OSTII theſin ex Ptolemæo, data occaſione ([y]), jam demonſtravi: Fuit longiuſculè in *Oceanum* protenſum, quam hodiè **Het Mallegat**, ita dictum ob ſtupendam rerum viciſſitudinem, inter Vicos utrimque extremos **Katwijk** & **Noortwijk**. Ubi famoſiſſimum hoc OSTIUM objectû ingentium Collium jam penitus

([o]) Geog. II. 9.
([p]) Lib. III. 2. ſub fin.
([q]) N. H. IV. 15.
([r]) II. Ann. 6.
([ſ]) Lib. XVIII. 2.
([t]) Lib. III.
([u]) Ad Aram.
([x]) Bat. c. X. pr.
([y]) Ad Flevum.

tus obturatum conſpicitur ; idque à multis retrò ſeculis : Cùm Fridericus I. Imp. huic malo jam remedium quæſiviſſe legatur , Propoſito Edicto ; *De Aperiendo RHENI fl. alveo , ut liberiùs decurrat* , Anno Imperii ſui XI., id eſt, Ær. Chr. vulgaris M. C. LXV. uti eſt apud Hedam (z). Obturationis cauſſa in aperto eſt; crebræ nempe Fluminis abactiones, per *Vahalem*, *Foſſam Druſianam*, *Alveum Civilis ſeu Leccam*, *Vechtam* , *Goudam* & tot recentiores elices alias : immò Obices injectos. Unde ex violento ſegne , mox elanguidum & tandem mortuum.

(z) In Balduin. Epo. XXIX.

P.

P.

I. PRÆTORIUM AGRIPPINÆ.

PRætoria Romanis dicebantur, in quibus Belli Duces Prætorium cogebant, id eſt, cum Legionum Primoribus de re bellica conſultabant. Deinde, ubi Prætores jus dicebant. Denique Magnatum ædificia in Villis voluptati deſervientia, ut loquitur Ulpianus ([a]).

(a) L. 198. de V. S.

Primi generis, Belli Dux ubique inſtituebat, etiam in Caſtris, ſeu in Tabernaculo: Si alicubi, in Provincia Inferioris Germaniæ, perpetuum aliquod fuit, id nuſquam niſi in *Colonia Agrippina*; Ducum ſede quærendum.

Secundo generi in *Batavis* locus nullus eſſe potuit; cùm ſatis conſtet, quod nec Magiſtratus, nec Judices à Romanis unquam acceperint; ſed Rempubl. ſemper per ſe adminiſtrarint, tantùm in belli uſum reſervati. In *Caninefatibus* tamen ceu Dedititiis, quorum intra fineis hoc ædificium, Juridicus quidam Romanus fuiſſe potuit; ſed vix dignus Prætorio nomine, nedum tam Auguſtô Prætoriô; quique haut dubiè, in Foro jus dixit, cui poſtea Adriani & Ælii cognomentum additum.

Tertii itaque generis PRÆTORIUM fuit, quod ad imitationem Caji Fratris, de quo Suetonius ([b]), JULIA AGRIPPINA AUG. Cæſaris Germanici Filia, Imperatoris Claudii Patrui Uxor, hic excitavit, ſuperbum haut dubiè & mole maximum, quo vim ſuam oſtentaret Nationibus. Quæ etiam cauſſa potiſſima Tacito ([c]) vocatur, condendæ *Coloniæ* in *Ubiis*, unô eodemque fortè tempore.

(b) In C. Calig. c. 37.

(c) XII. Ann. 27.

Præter Tabulam Peutingeranam, nemo Veterum hujus PRÆTORII AGRIPPINÆ meminit. Situs illi aſſignatur M. P. II. ſupra *Lugdunum ad Rhenum*, III. verò infra *Matilonem*; igitur illô planè loco, ubi hodiè Roomburg / in quo & *Armamentarium* fuiſſe ſuprà ([d]) demonſtratum eſt. Atque hinc haut vana conjectura; Idem illud PRÆTORIUM AGRIPPINÆ, poſt Auguſtæ Domûs interitum, in Armamentarium fuiſſe converſum.

(d) Ad Armam.

Q.

Q.

I. QUADRIBURGIUM.

UNi Ammiano Marcellino [a]: QUADRIBURGIUM vocatur, Opidum in *Batavis*, quod alii *Burginatium*, de quo ſuprà abunde dictum. Et inter alia, à Germanico 𝔚𝔞𝔱𝔢𝔯𝔟𝔲𝔯𝔤 utrumque vocabulum fuiſſe formatum. Ammianum fortè ſcripſiſſe VADRIBURGIUM, atque pro hoc, alios, qui quatuor turtium Arcem ſibi finxêre, ſubſtituiſſe QUADRIBURGIUM ex Latino & Græco ineptiſſimè conflatum.

(a) Lib. XVIII.

Cæterùm, cùm QUA, ſonô non abludat à WA, potuit Ammianus, etiam ſtudiö, ita ſcripſiſſe; ut propiùs adhuc, ſuâ opinione, Germanicam imitaretur vocem: Haut ſecus quàm hodierni Itali per GV. exprimunt Germanicum W.

R.

I. RHENUS.

RHENUS Fluviorum Europæ maximus, poſt *Danubium*, &
recentioris famæ, ſed longè celebrioris: Quia inde à C. Julio
Cæſare, Romanis armis indeſinenter frequentatus. Oritur ex *Lepon-
tiis*, inacceſſo & præcipiti vertice, inter Penninas & Rhæticas Alpes;
ferturque per *Helvetios*, *Tribocos*, *Nemetas*, *Vangiones*; *Treveros*, *Ubios*;
Gugernos, *Batavos*. Cæſar ([a]) etiam addit *Nantuates*, *Sequanos*, *Me- (a) B. Gal. IV.
diomatricos*, quia fortaſſe Clientelares ſuos ad RHENUM habuêre.
Diu ſolidus & uno alveo continuus, apud agri *Batavi* principium,
velut in duos amnes dividitur; Unde Bicornis à Virgilio ([b]) rectè (b) Æneid. VIII.
dici potuit; ſed non æque ab aliis, qui Druſo poſteriores: Nam Ille ter-
tium addidit alveum, per quem in *Lacus* ſpargitur, uti per primum
in amnem *Moſam*, quocum, multis capitibus in Oceanum, eâ parte,
influit. Uti hæc omnia pleniſſimè ex Cæſare, Strabone, Mela, Pli-
nio, Tacito, Ptolemæo, Herodiano, Marcellino, Mamertino, aliiſ-
que cognoſcere licet.

Nomen autem merè germanicum nactus eſt, à citato, veloce, &
violento curſu, uti de eo ferè loquuntur Authores. Velociter enim
decurrere, nobis eſt Rennen/ Rinnen: Indeque veriſſimum RHENI
etymon: Quicquid alii comminiſcantur, quibus ſola peregrina placent.

Sed de RHENO, qui totus noſter; & medius inter *Batavos* &
Friſios, hîc ſupereſt dicendi locus. Plinius ([c]), ut & Ptolemæus ([d])
MEDIUM vocant, qui modicum nomini ſuo cuſtodit alveum. (c) H. N. IV. c. 15. (d)
Mela ([e]) RHENUM, qui ſemper amnis, donec effluat. Taci- Geog. II. c. 9. (e)
tus ([f]) amnem, qui à Divortio *Germaniam* prævehitur, ſervatque Lib. III. a. fin. (f)
nomen & violentiam curſus, minus latum, quàm, qui ad Gallicam II. Ann. 6.
ripam adfluit. Verè ac ſcitè omnes. De ſuperiore parte Veteris hujus
ductûs, à divortio ad *Ametongam*, ſupra ſatis dictum eſt ([g]). Hinc (g) Ad Dr. Molen.
porrò ad Vicum *Batavodurum* in occidentem hibernum ſubitò adeo
vergit; ut alteram cum *Lecca* coïtionem meritò metuerent. Quæ
cauſſa fuiſſe videtur, novi obicis objiciendi, qui ut æternùm in eodem
ſtatu, uti antiquitus, ibi conſervetur, Fridericus I. Imp. tandem Edicto
cavit ([h]). Atque hinc ille alveus, qui à Remmerden huc ducebat, (h) Apud Hedam
totus exaruit. A *Batavoduro* in occaſum æſtivum, iterum flexus, Co- in Balduino
then/ Werkhoven/ Odijk/ Bunnik/ *Vechtâ* & Wiltenburg ad ſiniſtram Ep. XXIX.
relictis, *Trajectum* adlabitur. Ubi denuo maximum fecit damnum,
Vechtâ fluviô, ſub Ottonibus jam celebri ([i]), minuti etiamdum (i) Ad Eund. in
RHENI vim potiſſimam in *Flevonem* Lacum abripiente. A *Trajecto* Baldrico Ep.
ſemper Corum verſus ad *Oceanum* tendit, præter *Fletionem*, Batenſtein/ XV.

Batavorum & *Caninefatum* quondam limitem, *Woerdenam* recentius Opidum, *Lauros* 't Hof / Stekedam *Paludem*, ad quam *Nigrum Pullum* fuiſſe dixi. In cujus vicinia, tandem lethale ipſi inflictum vulnus, injectû tranſverſi aggeris, hodieque Swammerdam dicti. Qui num unquam, ſecundùm ſuperius Edictum Friderici I., remotus fuerit, non ſatis conſtat. Saltem in præſentia eodem loco conſpicitur. Quicquid Veteris alvei porrò ſupereſt, ad *Albiniana*, *Rhenoburgium*, *Matilonem*, Roomburg ſeu *Prætorium Agrippinæ*, *Lugdunum* & proximum illud Oceano Caſtellum, in quo *Ara* & poſtea 't Huys te Britten/ ad ipſum Oſtium, tot ſeculis celebratiſſimum, variæ ſubinde elices; hinc *Gouda*, fortè & *Foſſa Corbulonis*; Illinc *Duzia*, *Zilia*, *Marna*, aliæ, adeò abſorpſerunt, ut nihil aquarum niſi ſtagnantium, reliquum fecerint, quod ipſe RHENUS Oceano affunderet. Quin & infimæ parti
(k) Edict. Frid. I. inſuper ingeſta terra fuit (k) vulgo *Noda*, vernaculè Niedam dicta, quæ omnem exitum præcluſit. Et licet hunc perfodi juſſerit Fridericus Imp., ut RHENI aqua per eundem meatum, in vicinum mare iterùm efflueret: Effici tamen non potuit, quo minus Arenæ ventorum turbinibus agitatæ Oſtium obſtruerent, & ſenſim in Colles ingentes accumulatæ ipſum Littus, hac parte, ſolidum deinceps præſentarent. RHENO itaque MEDIO, infra Druſi Molem hodiè nihil ſupereſt, præter priſcæ famæ nomen.

S.

I. SALA.

DEpreſſius ſolum, cui ſuperſtare ſolet quælibet aqua reſes, ſive tacitis laticibus eò colliquata, ſive, datâ operâ, pecori aquando corrivata, ſive eluvionibus effuſa, SALAM vocant, qui *Rheni* divortia accolunt. Cujuſmodi haut paucum numerum perlabitur præcipuus *Brukterorum* amnis, Y SALA propterea dictus, *quaſi Amnis inter* SALAS; diu *Lupiæ Rhenoque* ad latus, modicô interſtitiô, mox hujus abactor, Druſô procurante. Gaudet hodieque hoc nomine, quod novô, FOSSÆ DRUSIANÆ; oblitterari nunquam potuit; quanquam Romani, nativô vetere penitus abſtinuêre. Errant, qui SALÆ vocabulô, de hoc amne, uſum fuiſſe contendunt Strabonem [a]. Loquitur enim de alterô *Salâ*, ita dictô, quòd multô ſale fecundus, qui in Albim influit, atque unà cum *Mœno* ad *Rhenum* tendente, Transrhenanam Germaniam Inferiorem, à Tergo, terminat; uti jam ſupra [b] demonſtratum. Illum puto *Salam*, inter quem & *Rhenum* Druſus, ab *Albi* per *Cattos* retrò cedens, ad *Maguntiacum*, antequam *Rhenum* attingeret, in Itinere, diem ſuum obiiſſe & Straboni & Dioni [c], magno conſenſu affirmatur. Fatuô ſale inſulſior ſit oportet, qui SALAM hunc noſtrum *Brukteros* inter & *Friſios*, *Druſianæ Foſſæ* nomine notum, quæſiverit inter *Cattos* & *Maguntiacum*, ubi Druſus mortuus.

(a) Geog. Lib. VII.

(b) Ad Germ. Inf.

(c) Lib. LV. pr.

Cæterùm à noſtrô Y SALÂ retinent nomen; in *Friſiis* vicus Auchorum **Salik**; in *Brukteris* integer Pagus **Salland**; hodiè princeps Triarchia totius Regionis, quæ ab hoc ipſo amne TRANSISALANIA vocatur. Num etiam *Franci*, ab eodem hoc SALA, *Saliorum* cognomentum traxerint; An vero à *Sala*, Comitii loco, ſupra ([d]) in medio reliqui: Malim tamen illud acceſitum à congregatione Hominum, quàm Aquarum. Nimis aberrant, qui ab amne, ſale fecundo, *Saliorum* cognomentum derivant; Cùm *Franci*, qui in *Chattorum* viciniâ conſedêre, non *Salii*; ſed CHATTUARII & ATTUARII ſeu *Chattibarii*, id eſt, *Chattorum vicini* fuerint cognominati, uti ſuo loco etiam pluribus oſtenſum eſt ([e]).

(d) Ad Franc.

(e) d. l.

Infima hujus amnis pars, diu adeò exilis fuit in *Friſiis*, *Sturios* inter & *Friſiabones*; ut aſſere junctus; ſaltuque ſuperatus, Annalibus Monaſticis memoretur. Certè Ptolemæi ætate, nullum SALÆ Oſtium cognitum fuit: Tantô ſtudiô nimirum, Druſus *Rheni* aquas per SALAM effuſas, ex *Lacu* in *Flevi* alveum coëgiſſe & collegiſſe videtur; ut vix amplius quicquam veteri SALÆ reliquum remanſerit.

Hodiè tamen, ingentem licet in Maris *Sinum* converſus, non modo vetus Ductus, ſed ipſum quoque Oſtium, nî fallor, veteri iterum nomine cognoſcitur, Teſſelſtroom & Teſſelgat / quaſi de Stroom ende het Gat van 't Y-SAAL of- SEL; id eſt, *Alveus* & *Oſtium Amnis SALÆ*. A quo & Inſulæ adjacenti nomen Teſſel. Quid enim Teſſel his in locis, aliud ſibi vellet, quàm 'T Y S S E L/ vel HET Y SEL/ quod Latinè AQUA SALA?

II. SCALDIS.

SCALDIS Galliæ flumen in *Veromanduis* ortum, vix noſtrum; niſi quà Germanos, cis *Rhenum* incolentes à Gallis diſterminat, quaque in *Moſam* influit; Cæſare ([a]) & Plinio ([b]) Authoribus. Nomen ipſi natum datumque eſſe putem à Germanico vel Celtico vocabulo Schol & Scholde / quod *leniter declinans* hodieque denotat. Qualis hic fluvius, maximam partem, eſſe cognoſcitur: Ab ortu ad *Valentianos*, aquæ adeò brevis, ut necdum navigia deferat; neque deinceps præcipiti profunditate celebris, niſi *Antverpiam* propinquans & præterlabens. Atque ideo paſſim Schold / Scold / Sceld / Eſcaut / Scoud / accolis dictus videtur. Eâdem dialecti varietate, quæ in Kold / Kald / Kelte / Kaut / Kout / vulgo nota eſt. Ubinam in *Moſam* influat, atque illô miſtus, quondam in *Oceanum* effuſus fuerit, ſupra ſemel ([c]) iterumque [[d]] oſtenſum; neque heic repetere attinet.

(a) Bel. Gal.
(b) H. N. IV.
(c) Ad Moſam.
(d) Ad Oſt. Moſ.

III. SIATUTANDA.

PTolemæus ([e]) inter *Germaniæ* Transrhenanæ Poleis, (ſic vocat quævis loca celebriora) ſecundo loco ponit SIATUTANDAM, nondum extra *Friſiorum* limites. M. P. XXX. circiter à *Flêo* ad ſubſolanum auſtralem; M. P. LXX. verò & ampliùs à *Tekelia*, quæ illi verè ad Auſtrum orientalem; hactenus contra Ptolemæi theſin perperam in ortum æſtivum, pari licet diſtantiâ, directam. Loca ambo, antiqui nominis cuſtodes, Fliedorp & Tekelburg / ideoque veri ſitûs SIATUTANDÆ indices fallere neſcii. Ad *Tiammam* itaque rivum, quondam Reideriæ & Veteris Ambacti ſeu Præfecturæ diſtinctorem; eâ parte, quâ hodiè *Dullarti* fluctibus obrutus eſt, unà cum denſo Luco; Cujus exſtat veſtigium, nominis certe, in vico Finſterwold. Atque hic ſitus optime etiam convenit Oſtiis *Vidri*, *Amaſii*, *Marnamanis*, licet in deſcriptione Ptolemaïcâ haut continuis SIATUTANDÆ noſtræ. Id quod inter rarò accidentia apud Ptolemæum, hoc climate, retuli, in Uſu Scalæ Menſoriæ [[f]]: Propterea que putem, tanto magis firmare præſentem demonſtrationem, jam ante, à theſi utrimque proximâ, certiſſimam. Neque adeo obſcurum eſt; quin

(e) Geog. II. c. 11.
(f) Supra ad Flêum.

quin ipſi huic loco, à *Tiamma* vel fortè *Siamma*, fuerit nomen, peregrinô ore tam fœdè detortum, ut reſtitutionis omninò deſperatæ ſit: Maximè, poſtquam fluctuum rabies heic omnia circum latè devaſtavit, atque in ampliſſimum Maris Sinum convertit. Ex quo quidem quotidiè agrorum haut parva menſura recuperatur; ſed priſca nomina non item, quorum fortaſſe non pauca, etiam ante eluviem, jam fuerant mutata.

IV. STURII.

EX IV. *Friſiorum* Pagis ſeu Inſulis in ipſo *Rheno*, uni Plinio [a] memoratis, dicenda ſupereſt, quam STURIORUM appellavit, voce non adeò abſonâ, ab ipſo vernaculo nomine, quo hodieque cluent; Et quidem apud Accolam plebem priſcæ linguæ retinentem, Steerhemers ſeu Stuerhemers / apud reliquos Staverers. Cujus origo eſſe videtur à Stede / Latinè *Villa*. Quarum frequentiſſimus, hoc *Friſiorum* Pago numerus. Unius dudum Sinu Maris hauſtæ, ſupereſt celebris memoria HOF S CEDE in ipſis fluctibus, ad veteris *Salæ* alveum, inter Steerhem ſeu *Stauriam*, antiquum STURIORUM Opidum, & *Enchuſam Friſiabonum*. Steders igitur & contractius Ste'ers initio fuiſſe appellatos, vix ambigendum; à frequentibus Villis, Steden vulgò dictis, item Plaatſen / Heerden / quibus illorum Pagus, præ aliis, tum fuit habitatus: Atque porro Opidum, quod primum condiderunt, à ſuo nomine Stederhem & contractô, ut ſolet, vocabulô Ste'erhem / fortè & Sturem aliquando. Eadem certè dialecti varietas, in hoc ipſo vocabulo Stede / liquidò demonſtrari poteſt, in vico agri Groningani, Præpoſiturâ quam vocant, quondam inſigni; Cui, pleniſſimô effatû, nomen Stederheem / contractô Stedum & Steem. Saltum autem ei ſubjectum, *Stederavaldam* fuiſſe nuncupatum, inter alia multa, probat antiquum inſtrumentum annis ſexcentis non recentius, cujus exemplum fidâ cumprimis manu exceptum, non adeo infideliter exhibuit in ſua Hiſtoria Cornel. Kempius [b], aliàs vix treſſis Scriptor: Atque ex *Stederavalda*, id eſt, Steder- vel Ste'er-wold / hodiè Stuer-wold / factum eſſe, accolarum nemini incognitum eſt. Quod ſi ad enndem modum, *Flevi* accolæ (uti quidem credere par eſt de ejuſdem Nationis & linguæ hominibus) modò Ste'er / modò Stuer pronunciarint: Plinius certè, Romanô ore, illos vix aliter quam STURIOS appellare potuit. Hadrianus Junius (c) pernegans *Flevum* STURIIS orientalem fluxiſſe, quod tamen ſupra (d) ſatis demonſtratum puto, & Parte II. (e) novi generis argumento aſtruam, Plinium hoc loco de STURIIS ne cogitaſſe quidem autumat; Quia ipſi res cum ſolis Ciſflevanis. Sibi verò viſum ait Codicem, in quo ſcriptum *Tuſiorum*, quorum etiam nomen ſuperſtes eſſe videatur in

(a) H. N. IV. 15.
(b) Lib. II. c. 11.
(c) Bat. Cap. III.
(d) Ad Fleum
(e) Ad Chimelof.

vico Northollandico **Oppertoes** ; addere potuiſſet & **Tuysduynen** & **Twisk** / & alia ab eodem ſono non abhorrentia. Cæterum utut verum ſit, Codicem ita ſe habere, mihi tamen nunquam perſuadebit, tam manifeſta in re, illum hactenus mendoſum non eſſe. Quæ de *Stavone* Populo venduntur fabulæ, futiliores ſunt, quàm ut recenſeri mereantur.

(f) Ad Auchos. Fines STURIORUM, uti ſupra [f] in tranſitu indicavi, fuêre; à Fronte *Oceanus* ; Latera & Tergum amnes cinxerunt, *Sala*, ante Druſi abactionem ad Inſulam **Tessel** effluens, & *Flevus* ; tum Lacus, qui eſt inter Inſulam *Flevonem* & ulterius Friſiorum littus, tum ipſe fluvius iterùm arctior : Ut iis comprehenſa fuerit prædicta Inſula. Maxima agrorum pars hodiè Maris Sinus eſt. Reliqua non niſi unicam Præfecturam **Hemelumer-oldefaart** ; cum duobus Opidis modicis *Stauria* & *Hindelopa* continet : Quorum tamen hoc, lautâ in re, &, præ multis majoribus, opulentiſſimum, per ſummam frugalitatem, Veterum planè in morem, & aſſiduam artis nauticæ induſtriam.

V. SUNICI.

EX Germaniæ Citerioris parte eâ, quam ætate Cæſaris tenuêre *Eburones* inter *Rhenum* & *Moſam*, poſteà Ubiis ceſſiſſe *Rheno* proximam, nimis notum eſt. Alteram ad *Moſam*, Transrhenanorum aliis deinceps tributum, novum Gentis nomen ibi enatum arguit.

(a) H.N.IV.17. Primus, qui ejus mentionem fecit, eſt C. Plinius [a] : ſed variant in lectione Codices. Illi, ex quibus tranſſumptæ Editiones vulgatæ, habent *Rinuci*. Londinenſis vetuſtiſſimus Bibliothecæ Regiæ, *Sunuci*. Oxonienſis denique elegantiſſimus, *Sinuci* ; referente Cluverio Au-
(b) G.A.II.19. toptâ [b]. Apud Tacitum [c] verò de eodem Populo loquentem
(c) IV. Hiſt. 60. conſtans ubique lectiò eſt SUNICI. Ut dubitare vix liceat; Plinii locum ad hanc ipſam ſcripturam, eſſe reformandum.

De SUNICIS itaque ut pauca dicam, non me movet *Friſiabonum* qualiumcunque vicinia Plinio notata, utpote, quæ noſtros nullô
(d) Ad Friſiab. confiniô tangat, uti jam ſupra [d] demonſtratum eſt : Sed, præter conſanguinitatem, quæ SUNICIS intercedit cum *Batavis*, *Caninefatibus*, *Taxandris*, præſens illorum conditio, quâ Fœderatæ Reipl. dicioni bonam partem ſubeſſe noſcuntur. De novi nominis ortu, in præſentia nihil occurrit, quod aſſeram; niſi quòd à Regionis loco *Senich*, id recepiſſe videantur; haut aliter quam *Sigambri* ejuſdem captivitatis & tranſportationis ſocii, à ſuo **Gogh** receperint *Gugernorum*. Uti igitur *Sigambris* ſua obtigit cuſtodia, ſub *Ubiis* ad *Rhenum*; ita Parti Suevorum Ciſſalanorum unà traductorum, ſua poſt *Ubios* & amnem *Ruram*, ad *Moſam*. SUNICIS enim Plinius jungit *Tungros*, nec procul, poſt *Moſam*, *Bethaſios*. Clarius etiam Tacitus *Sunicos* à *Rheno*, poſt *Ubios* ponit, ad Pontem uſque *Moſæ* ; deinde *Tungros*, *Bethaſioſque* & poſt hos *Nervios*. Ex quibus certiſſimum, SUNICOS à Tiberio in cuſtodiam fuiſſe deductos; inter *Ubios* à Septentrionibus

&

& Oriente, *Rurâ* Finitore; *Moſam* ab Occidente; *Tungros* denique à meridie, iis ſedibus recedere juſſos; fortè ultra *Veram* amnem, qui cum *Urta* ad *Leodiacum Moſam* influit. Quæ Cluverii valdè probabilis opinio eſt. Hiſce autem finibus contineri *Limburgienſem*, quem vocant Ducatum, hodiè bonam partem jure optimo maximo noſtrum, titulo **de Landen van Overmaſe**/ id eſt, *Dicionis Tranſmoſanæ*, nemo eſt, qui ignorat. Neque adeò in obſcuro eſt *Batavorum* & SUNICORUM conſanguinitas, licet *Suevi* vocentur Suetonio ([e]) & Eutropio ([f]) ſecundùm Cæſarem, qui à Tiberio cum *Sigambris* in Cisrhenanam cuſtodiam fuerint tranſducti; intra *Albim Salamque* tamen & *Rhenum* habitaſſe diſertim memorant. Igitur non plurimæ illæ Suevorum Gentes, quæ ad *Mare Suevicum* inter *Albim* & *Viſtulam* de quibus Tacitus ([g]); Sed veriſſimè *Catti*, ob *Suevorum* ſocietatem, vel quamvis aliam ob cauſam, certè erroneam, Cæſari ([h]), & à Cæſare aliis, *Suevi* falsò dicti; uti pluribus argumentis pænè apodicticis demonſtratum dedit Cluverius ([i]). Ex quibus verò Pagis capti fuerint, nullo indicio proditum reperitur, nec conjectura quiſquam aſſequi poteſt; Cum Centum Pagos *Cattis*, ſeu *Suevis* ſuis fuiſſe narret Cæſar. Vix tamen dubitandum, quin *Sigambris* proximi exſtiterint. Loca præcipua, quæ hodiè in Fœderatorum poteſtate, hoc SUNICORUM tractu; ſunt *Vicus* ad *Moſæ Trajectum* vel ſi mavis *Pontem*, *Dalem* & *Falcoburgium*. Pleraque alia, præter *Aquas Grani*, *Limburgium* & *Montem fortem*, obſcuriora, & Dicionis ferè *Juliacenſis*. Veteribus non niſi duo *Coriovallium* & *Theudurum*, cognita fuêre, de quibus aliàs ſeorsùm.

(e) In Vit. Aug.
(f) Lib. VII.
(g) G. cap. 38. 39.
(h) Bell. Gal. I.
(i) G. A. III. c. 5.

T.

I. TABLÆ.

EST locus intra *Batavorum Inſulam*, cui in Tabula Itineraria nomen TABLIS, plurium numerô, auferendi caſu. Quis rectus TABLIne, TABLÆ, an TABLA, non admodum liquet. Cluve-
(a) G. A. II. c. 11. tio (a) noſtro præplacent TABLÆ; non ideò, quod aliquid ſignificent, Græcè ſaltem; *Tabli* verò & *Tabla* nihil; Sed quòd inter obliquos, accuſativus faciat, TABLAS, affinis ſoni cum *Batavo* ALBLAS, Romanô ore nonnihil detorti. Alblas autem Germanicum, vel acutiore eloquiô Al-plas/ ingenium loci pænè depingit; humeſcentes nempè undique campos & ferè vadoſos atque adeò depreſſos, ut *Vahalem* & *Leccam* ad coïtionem, quæ poſteà ſecuta eſt, Metovæi, ut vulgò putatur, operâ, invitare viderentur.

TABLARUM ſitus in Tabula notatur M. P. XVIII. à *Caſpingio* & XII. à *Flenio*, qui incidit in extremum angulum *Alblaſſii* tractûs, *Leccam* inter & *Merovæi Foſſam*, id eſt, M. P. IV. ab ipſo vico Alblas/ ad quem theſis Cluverii; heîc iterùm violentas manus Tabulæ inferentis, omnimodam in tranſponendis numeris poteſtatem ſibi arrogando, citra omnem neceſſitatem; immò, ſi dicere fas eſt, contra rectam rationem; uti jam ſæpiùs, & quoties occaſio tulit, in ſuperioribus demonſtratam eſt.

II. TABUDA.

(a) Geog. II. 9. FLuvium, cui TABUDA nomen, Ptolemæus (a) bis memorat. Præter illum, ex Veteribus, nemo, ſub eâdem nomenclaturâ. Primo quidem loco, Oſtii ſitum deſignat, alieniſſimum certè ab ipſo fluvio, cui in ſequentibus eandem appellationem tribuit; ut patet ex dictis *ad Oſtium Moſæ*. Poſteriore enim locô, collocat *Morinos* citra TABUDAM; Ultrà verò *Tungros*, hiſce *Bethaſios* & *Menapios*, ut videtur, accenſens. Igitur per TABUDAM ibi intelligit aliud omninò flumen, quàm cujus Oſtium paullo ante deſcripſerat; *Scaldim* nempe, quem *Tungrum* vocavit Sollius, quà *Bethaſios*, *Menapioſque*, *Tungris* & ipſi accenſitos, prævehitur. Sic Conſentium
(b) Carm. XXIII. allocutus (b)

Tu Tungrum *& Vachalim, Viſurgin, Albin;*
Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares venerantibus Sigambris,
Solis moribus inter arma tutus.

Exemplô non novô, cùm & in Tabula, *Vahalis* vocetur *Patabus*, id eſt, *Batavus*. Sed nec certiùs quicquam; ad *Scaldim* uſque fluvium, Germanicas accoluiſſe Gentes, teſte Plinio ([c]) horum maximè legitimô Scriptore. Unde mihi ſuſpicio; apud Ptolemæum, non idem utrobique fuiſſe vocabulum. Priore ſanè loco ſcriptum crederem AMUDA, id eſt, *Ahæ Oſtium*, quod etiam hodiè eô ſitu eſſe oſtendi. Unde verò alterius loci TABUDAM pro *Scaldi* hauſerit, haut facilè dixerim pari veriſimilitudine. Nobiliſſimus quidem Marchantius, Flandriæ ſuæ doctiſſimus & elegantiſſimus Chorographus, tradit *Scaldim*, Germaniæ Galliæque limitis ſequeſtrum, vetuſtioribus Sta-buten/ hoc eſt, *maneto foris* fuiſſe appellatum; Atque inde Ptolemæo Græcisque TABUDAM. Sed hæc ex ſola conjectura & nullo Authore, ſi quid capio. Sint igitur in medio. (c) H. N. IV. 13. 17.

III. Taxandri.

POſt Cæſaris ætatem, nova Populorum nomina, præter *Ubios*, tria omninò alia, per Cisrhenanam Germaniam ſecundam, invaluêre, ſuperſtitum in ſedibus; Plinio ([a]) cumprimis memorata GUGERNORUM, SUNICORUM, TACSANDRORUM. Primi *Menapiorum*; Medii *Eburonum* in fineis tranſdúcti. Noviſſimi in illam Regionem ad *Oceanum*, quæ pænè terra non eſt, *Scalde*, obliquis meatibus, interfluente, & maris æſtû ferè Inſulas inde efficiente, ſecundùm Cæſaris ([b]) & Eumenii ([c]) deſcriptionem: Mediam quidem, eidem Plinio, inter *Morinos*, *Menapios*, *Batavos*; ſed nulli eorum propriam, latebris tantùm & refugio omnibus, urgente periculô; ceſſante verò, cultoribus vacuam; quantum ex Cæſare licet aſſequi. Cuncti tres ſimul, Auguſti auſpiciis, à Tiberio, in loca dicta, *Rhenum* tranſportati, ut cuſtodirentur, Anno ſeptimô ante Æram Chr. vulgarem; uti ex Dione ([d]) veroſimile fit.

(a) H. N. IV. 13. 17.
(b) Bel. Gall. V.
(c) Paneg. ad Conſt.
(d) Lib. LV.

In hiſce tranſportatis fuiſſe univerſam *Sigambrorum* Nationem, quibus ad *Rhenum* ab Opido Goch / *Gugernorum* obtigit appellatio, liquidò ſatis demonſtratum eſt. Fuiſſe etiam ingentem *Cattorum* multitudinem, *Suevorum* minus rectâ nomenclatione; Quorum parti uni ad *Moſam*, à loco Henich / tum fortaſſe ibidem præcipuæ famæ, SUNICORUM nomen deinceps tributum, magnâ probabilitate itidem dictum eſt. Alteri denique ad *Oceanum* perductæ, à Sandeit / id eſt,

Brevibus Inſularum inſtar, pari ratione SANDRORUM, &, quia ex *Cattis* CATSANDRORUM ceſſiſſe vocabulum, minimè omnium, meâ opinione, dubium eſſe poteſt. Maximè ſi animadvertatur, Inſularum extimæ ad Oſtium Zupn / Ptolemæo *Moſæ* dictum, CATSANDRIÆ nomen, in hodiernum diem, remanere integrum. Præterquam quòd ejuſdem nominis veſtigia alibi per *Zelandiam* noſtram non deſint; uti in Atce quondam CATS / in aggere CATTENDYK aliiſque. Quòd verò Romani non CATSANDROS, ſed, metatheſi ex ſono vix obſervabili, TACSANDROS, vel aliâ duplicis litteræ figurâ, TAXANDROS vocarint horum Btevium incolas, nemini inſolens videbitur, qui norit idem, tot aliis in locis, uſu receptum, etiam variantiâ ſoni haut parum majore. Magis quoque condonandum Romanis, ſi pro TAXANDRIS, *Toxandros* vel *Texandros* ſcripſerint, ſecundum quoſdam Plinii Codices. Quod antem Am. Marcellinus per TAXANDRIAM innuerit hanc *Zelandorum* regionem, Cluverio noſtro credere malim, quàm ambitioſiùs inquirere. Cum utique certum ſit ad Teſſenderlô, qui hodiè *Menapiorum* vicus, haut procul *Demera* fluvio finitore, TAXANDRORUM fineis nunquam pertigiſſe, undecunque demum illi hoc nomen quæſitum. Licet negare nolim, quod affirmare nequeo; TAXANDROS noſtros aliquid agrorum trans Euripos, in *Menapiis*, fortè & in *Morinis*, aliquando poſſediſſe. Cæterùm inſcitè *Zelandis* adulantur, qui à *Cattis* quidem ortos concedunt; ſed non ab hiſce CATSANDRIS captivis; verùm ab aliis ejuſdem Gentis, qui, *Batavis* honore & inſignibus Romanæ Societatis pares, *Mattiacos*, id eſt, Maats / uſitatiſſimô hodieque Incolis vocabulô, ſe dixêre. Mirandum quî Viri Docti, ob tantillam ſimilitudinem vocis, quæ tamen inſuper *Batavis* & *Friſiis* ex æquo convenit, à mente
(e) G. c. 30. Taciti (e) adeo perſpicuè explicatâ, recedere potuerint! Diſertè enim ille *Mattiacorum* Gentem, ultra *Rhenum*, ultraque veteres terminos Imperii collocat; immò, ne à *Batavis* quidem, ſolô Rhenô diviſam;
(f) In Not. ad d. l. à quo Lipſius (f) non abhorruit; ſed procul inde, *Sud*, id eſt, *Cattorum in terrâ*, cujus ſolo & cœlo etiam acrius animantur, nimirum ſiccô inter Montes magis, quàm *Batavi* humido inter vada. Neque
(g) H. N. XXXI. 2. Plinius (g), neque Am. Marcellinus (h), *Mattiacis* alias partes, quam trans *Rhenum* aſſignant. Regionem autem illorum, fuiſſe pu-
(h) Lib. XXIX. c. 20. tem quæ hodiè *Wetteravia* dicitur ab antiquo Opidô Wetter / in cujus viciniâ hodiè recens, veteri nomine: Ex quo Romani fortè *Mat-*
(i) I. An. 56. *tium* fecêre; Quod Tacito (i) Gentis Caput. W. ignotâ litterâ, in M. mutatâ & reliquis ad ſuum pronunciandi modum. Qui enim *Marburgium* ejuſdem agri Arcem & Opidum, vetus *Mattium* eſſe contendunt, quaſi *Matburgium*; næ illi ignorant *Marpurgio* nomen eſſe à rivo Mar / qui Arci boreas, & à quo etiam vico Marbach / aliiſque etymon.

Sed ut ad TAXANDROS redeam, quibus gloriæ ſatis, ſolidâ libertate frui, & tertio loco conſidere inter Auguſtæ VII. Fœdera-

torum

torum Reipl. Patres. Fuerunt illorum fines quondam latiores, quàm hodiè; protenſi quippe ad Utrumque *Moſæ* Oſtium; immenſum dico illud Taciti & aliorum, cui nomen *Hèlium*, & alterum Ptolemæi, quod vulgo 't Zwyn appellatur. In præſentia utrimque acciſi, arctatique inter Foſſam Ottonianam de Pont & Euripi exitum, cui à Municipio Brouwers-haven nomen.

Veteres nullius Opidi nomen, totâ hac Regione, nobis reliquerunt: Licet pluribus in locis, Romanæ antiquitatis monumenta eruantur ([k]); Quorum quædam exhibuit in ſuo Inſcriptionum opere Gruterus ([l]), plura etiam in ſuo ſupplemento Reineſius ([m]); de quibus *ad Nehalenniæ ſacellum* jam dictum. (k) Theat. Urb. Belg. Fœd. in Weſtc. & Domburg. (l) MLXX. 4. (m) Claſſ. I. n. 177-184.

IV. TEUDERIUM.

De vero TEUDERII ſitu, licet extra *Friſiorum* terminos, ut pauca dicam, duo me movent. Primò, quòd *Mediolanio Friſiorum* proximè, à Ptolemæo, conjunctum, ejus poſituram quam ſuprà ([a]) aſtruxi, magnopere firmet: Deinde, quòd includatur vetuſtiſſimis ſedibus *Chamavorum*, qui *Friſiis* initio contermini, poſteà & Socii. (a) Ad Mediol.

Ptolemæus ([b]) *Mediolanium* & TEUDERIUM ita componit, ut hoc ab illô diſtet; In Latitudine ad Auſtrum Sexageſimis XXV. In Longitudine ad Ortum, Minutiis LXXX. potiùs quam LXX. hoc eſt rectâ lineâ M. P. LV. in Subſolanum Vulturnium, qui Græcis Phœnicias. Ad illum ferè locum in *Chamavis*, vulgò op den Hemling / qui hodiè Duderſtat; ſeu, ſuetâ nobis ſyncope, Duerſtat nuncupatur, appellativo prorſus nomine, plurimis per Germaniam inferiorem locis communi, in *Batavis*, *Cattis*, *Cheruſcis*, Aliis; A Thüt & Deut nempe, quod *Forum Juridicum* denotare alibi ([c]) dixi, ita nuncupatis. Et vix propiùs Homo Græcus Germanicum Düder ſeu Tüder exprimere potuit, quàm per TEUDERIUM Opidorum catalogo inſertum: Cùm Stadt Græcè ſit *Polis*, Latinè *Opidum*, ideoque *Chamavorum* Duderſtat nihil aliud, quà ſitu, quà ſignificatu, quàm Ptolemæi TEUDERIUM OPIDUM. Quod tamen temerè nimis Magni Interpretes loco movere non dubitarunt, longè cis *Rhenum* in *Sunicis* id reponentes: Quaſi Ptolemæus diligentiſſimus Geographus, quæ fortè de *Aſciburgio*, *Mediolano*, *Theuduro* cisrhenanis ſubobſcurè cognoverat, ad transrhenana pertinere oſcitanter putaſſet; neque cenſuiſſet, ejuſdem vel affinis vocabuli Opida, ultra citraque extare. Nec mirum, cùm palam jactent omnia ſibi licere in optimum Ptolemæum, cujus theſes, per Univerſam *Germaniam*, omnes ſimul explodere & pro lubitû transformare haut verecundati ſint. (b) Geogr. II. c. 11. (c) Ad Batavodurum.

V. THEUDURUM.

IN Veteri Itinerario, quod Antonini vocare receptum ferè eſt, deſcribitur iter à *Colonia Trajana*, *Batavorum* in finibus, ad *Coloniam Agrippinenſem*, per *Gugernos*, *Sunicos*, *Ubios.* M. P.; uti in vulgatis eſt, LXXI. Mendosè procul dubio: cùm utraque Colonia, etiam ad rectam lineam, longiùs ab alterâ disjuncta ſit. Vix ambigendum itaque, quin ſcriptum fuerit more antiquo ⅭXXI., id eſt, Centum, viginti & unum, ex quo Librarius imperitè fecit LXXI. Atque hoc errore commiſſô, corrupit & reliqua, ut iterùm colligeret ſummam LXXI. nimis inepte depravatam. Hôc modô;

A *Colonia Trajana* ad *Coloniam Agrippinam*

Millia Paſſuum	LXXI.	loco	ⅭXXI.
Mediolano	VIII.		XVIII.
Sablonibus	VIII.		XVIII.
Mederiacum	X.		X.
Theudurum	VIIII.		XIIII.
Coriovallium	VI.		XI.
Juliacum	XII.		XXII.
Tiberiacum	VIII.		XVIII.
Colonia Agrippina	X.		X.
	LXXI.		CXXI.

Solerter admodum, uti quidem viſum fuit Librariolo. Cùm in ſola nota X. invenerit omne remedium, illam quater reſecando, & bis in V. convertendo, reliquis intactis. Atque hæc ita ſe habere, evidentiſſima ipſius rei veritas pro me demonſtrat. Ut ab indubitatis ordiar; *Colonia Agrippina*, tranſitô *Tiberiaco*, exactiſſimè diſtat à *Juliaco* M. P. XXVIII. *Juliacum* iterùm à *Coriovallio*, uti ipſe Antoninus, aliô itinere, *Atuacâ Coloniam*, agnoſcit, M. P. XXIII. ſed verè XXII. Igitur L. confecti in Occidentem, à Rheno in *Moſam*; ut reſtent conficiendi verſus Septentriones à *Moſa* ad *Rhenum*, & alteram *Coloniam*, *Trajanam*, LXXI. Sic; A *Coriovallio* quod Heijer in valle, eſſe oſtendi, ad ***THEUDURUM***, ſitû & nomine ſe Tuddert probans, M. P. XI. A THEUDURO ad *Sablones*, vernaculè Santhof / intermediô *Mederiacô*, M. P. XXIV. A *Sablonibus* ad *Coloniam Trajanam*, per *Mediolanum* in umbilico, M. P. XXXVI.

Quod THEUDURUM attinet, *Sunicorum* Opidum eſt. M. P. IV. non amplius extra Tranſmoſanæ dicionis noſtræ fineis, Julia-

cenſi in agro. Ita dictum, ni fallor, à **Thiet** / ſeu **Theut** / *Populo*, & *Duro*, **Judicii** loco; quia Populo fortè ibi jus dictum fuit in *Smicis*.

VI. TRAIECTUS.

ANtiquiſſima TRAIECTûS AD RHENUM memoria, eſt in Itinerario Antonini; apud Veterum Romanorum reliquos altum de hoc ſilentium. Ponitur autem illi M. P. XVII. ſupra *Albiniana*, XV. infra *Mannaritium*, pro vico **Mauriti** habitum. Id eſt eò loci, in cujus ripa adverſa, *Friſiorum* ſolô, utrimque ad *Vechtam*, recentiorem Rheni exterminatorem, *Auchos* inter & *Friſiabones*, poſteà excitatum eſt Caſtrum, mox Vicus, brevi Opidum, deinde Urbs, eademque Metropolis, per *Batavos*, *Friſios*, *Taxandros*, *Bructeros*, *Gugernos*, qui Chriſto nomen dederunt. Cui à VETERI hoc TRAIECTU, uti appellabatur Caroli M. ætate (a), Majores noſtri **OLT TRECHT** / nomen fecerunt vel reliquerunt potius, pro maſcula ſua elocutione. Atque ſecundùm eam, cùm *Oltrajectum* Latino-belgice dixerint vel dixiſſe debuerint; Ineptuli ut totum fieret Latinum, fecêre, *Ultrajectum*. Intermedii haut dubiè mollius **Outtrecht** pronunciarunt. Hodierni molliſſimè **Utrecht** & pænè pueriliter **Uptrect**. Quod tamen ſinceræ Latinitatis amantibus appellari convenit TRAIECTUS RHENI vel TRAIECTUS AD RHENUM, utpotè nullâ aliâ conditione, quàm ſolius Trajectûs, Romanis cognitum. Qui aliter ſtatuunt, fidenter proloquor, idoneo Authore deſtituuntur; Et incertæ famæ murmura aucupantur. Urbium noſtrarum, à Chriſtô ſaltem receprô, Primariæ: Cui inſuper æternum acceſſit decus, ab æterno fœdere, ſua intra mœnia, quod par erat, ſancitô: Quô *Batavi Friſiique* omnes, cum affinibus, ſeptemplici & æquo jure in unam coiêre Rempublicam, ipſis Regibus verendam, Piam, Felicem, Auguſtam, priſcæ Libertatis Vindicem, Tutricem, Provectricem.

> (a) V. Diploma Caroli R. apud Hedam in Albrico.

VII. TUBANTES.

IN Transrhenana *Germania* Inferiore Populus fuit non magnarum virium; Qui Straboni (b), ſecundùm Cluverii (c) emendationem, TUBANTII. Ptolemæo (d) TUBANTI. Latinis TUBANTES appellati fuêre. Germanis fortè **Tho Benten**; Quia vagans caterva, quam **Bende** vel **Bande** vernaculè vocamus. Omnium enim ſæpiſſimè ſedes mutaſſe leguntur. Et quidem initio conſediſſe illos probat Cluverius (e), ubi hodie Comitatus, uti loquuntur, **Ravensburg** & **Lippe**; inibique **Bentdorp** vicus, antiquorum Incolarum memoriam

> (b) Geog. Lib. VII.
> (c) G. A. III. 12.
> (d) Geog. II. 11.
> (e) d. l.

ſervans.

ſervans. Hinc in illos immigraſſe agros, inter *Rhenum* & *Salam*, quos Romani, *Tencterorum* & *Uſipiorum* operâ, *Menapiis* ereptos, Militum ſuorum uſibus ſepoſuerunt; Tum fortè vacuos, & nuper etiam à *Chamavis* occupatos iterumque relictos, Tacitus ([f]) locuples Author eſt; fidemque auget vicus **Benthamp**/ in quo ſui nominis memoriam quoque reliquêre. Neque ſatis ſolida dubitandi ratio eſt, quam adducit Cluverius; Quòd Tacitus *Uſipios*, qui *Menapios* ejecêre, in horum agrorum occupatione poſteriores *Tubantibus* faciat. Tacitus namque hoc loco, minimè reſpicit ad tempora Cæſare priora; ſed tantùm narrat, quid hiſce agris, jam Romanorum Militum uſui ſepoſitis, accidit; quoties ab horum culturâ vacarint. Primâ nempè vice occupatos fuiſſe à *Chamavis*, alterâ à *Tubantibus*, tertiâ ab *Uſipiis*, quartâ à *Friſiis*, quintâ ab *Ampſibariis*. Errat igitur vel maximè, Tacitum erroris inſimulans. TUBANTES autem hinc decedere coactos, inter *Uſipios* & *Chattos*, novas ſumpſiſſe ſedes, ex eodem Taciti loco nimis apertum eſt, & quidem haut longè ſupra Lupiæ fontes, Marſorum cæde exciti, de qua idem Tacitus ([g]), uti inſuper fidem facit Cluverius ex Vico **Benteſlô**; adde **Bentfeld**/ **Benthupſen**/ & **Bentburen**/ quibus pro more nomen ſuum impoſuerint. Cæterùm quòd inde originis ſolum repetierint, non in eadem cum Cluverio credulitate ſum. Sed cum ratione credo TUBANTES, haut ſecus quàm nuper *Marſorum*, jam *Bructerorum* ([h]) cæde excitos, aliquid ex illorum agris occupatum iviſſe ad utramque *Vechtæ* ripam, à *Chamavis* & *Ampſibariis* nondum obſeſſum. Quo invitant tot locorum nomina hoc Tractu, à TUBANTIBUS petita, ceu ſunt, primô aditû, **Bentlage**/ quod TUBANTUM *Caſtra* notat; Deinde **Benthem**/ TUBANTUM *ſedem*: Item **Bentlô**/ **Bentinge**/ **Bente**/ fortè & alia. Igitur TUBANTIBUS ceſſiſſe putem, quicquid inter *Amiſiam* fl. & *Benthemenſem*, quem vocant, *Comitatum* eſt, cum toto illo Comitatu, & *Salicâ Secundâ*, vel, ſi mavis, *Tranſiſalaniæ* parte, ex re, hodie **Twente** dictâ. Quæ etiam mihi ratio videtur, quod in Notitia Imperii ([i]) cum *Saliis* conjuncti reperiantur. Hinc porrò aliovorſum emigraſſe, nuſquam legitur; niſi ſimul cum *Francici* Fœderis ſociis: Quæ, ut aliis pleriſque, ita etiam TUBANTIBUS oblitterati nominis cauſſa.

(f) XIII. An. 55. & 56.

(g) I. An. 56.

(h) G. c. 33.

(i) De Mag. Ped. Occ. Et de Com. Illyr.

V.

V.

I. Vada.

MOdicus fuit vicus, in ſuperiore parte *Batavorum Inſulæ* ad ipſum *Rhenum*, qui ſoli Tacito ([a]), VADÆ nomine memoratur, ceu clade illâ Cl. Civilis nobilis, quâ in exilium actus eſt. Nullâ propiore ſitûs ſignificatione; quàm quòd ex Partitione Præſidiorum IV. vicis immunitorum haut obſcurè colligi queat, inter *Arenacum* & *Batavodurum* fuiſſe. Loca utrimque tum extrema intra Inſulam in Romanorum poteſtate; Ideoque validioribus Legionum præſidiis firmata, quàm intermedia *Grinnes* & VADA, ubi Cohortes aut Alæ tantùm. Quia verò *Grinnes Batavoduro* proximæ, uti ſupra ([b]) demonſtratum; Conſentaneum eſt VADAM Vico *Arenaco* fuiſſe propiorem, adeoque inter hunc & *Grinnes*; disjuncta invicem caſtra ad M. P. XXX., ſecundùm flexuoſam amnis ripam: Sic; *Herenatiô Carvonem* M. P. XXII. ([c]) *Carvone Grinnes* VIII. ([d]). Secundùm regulam verò XXVI. non longiùs. Hoc igitur intra ſpatium inveſtiganda venit vera VADÆ noſtræ poſitura.

(a) V. Hiſt. 20. 21.
(b) Ad Grinnes.
(c) Itin. Ant.
(d) Tabul. P.

Multiplicem committit errorem Cluverius ([e]); VADAM *Wageningæ Friſiorum*, qui *Auchi* cognominantur, Opido, è regione ponens; Quia in eo antiqui nominis VADÆ veſtigium; Quòdque diſtet *Arnhemo* M. P. XII., qui notarentur in Tabula P. *AD DUODECIMUM*; Atque inde ad *Grinnes* M. P. VI. Ut planè VADA Taciti foret idem locus, qui Tabulæ, AD DUODECIMUM. Primus error in eo conſiſtit; Quod VADÆ longè alia nominis origo ſit, quam *Wageningæ*, vetuſtioribus, quod ſatis conſtat ([f]), Wagenweg / id eſt *Via publica* dictæ: Cui quid commune cum VADA, à Wede vel Wey / id eſt *Paſcuo* appellata? uti mox oſtendetur. Alter error, quod ad locum AD DUODECIMUM, jam ſuprà exploſus eſt. Unde pariter liquet de Tertio; Quòd *Grinnes* cum ſuis Sex M. P. ad alteram Tabulæ lineam, cujus neceſſitatem ipſe Cluverius oſtendit, tranſpoſitis; Sex illa Millia Paſſuum non amplius his intercedant cum loco AD DUODECIMUM, ſed cum *Levafano*, uti ſemel iterumque ſupra ([g]) demonſtratum eſt. Quartus denique error omnium fœdiſſimus & pæne reduplicatus, eſt; Quòd ex *Arenaco* faciat *Arnhemum*; Et ab *Arenaco* numeret *Ad Duodecimum*, & quidem ab *Arnhemo Pſeudo-Arenaco*, de quo etiam ſuprà ſatis dictum.

(e) G. A. II. c. 16.
(f) Ex G. Heda H. Ultrajectl. Theat. Urb. Belg. Fœd. ad Wageningam.
(g) Ad Caſt. Herc. & ad Grinnes.

Ratio itaque longè alia ineunda eſt, ut propiùs ad veritatem accedatur. Quò nos ducet vera vocabuli origo. VADAM enim, minimè Latinum, nemo Germanicum eſſe dubitabit. Duo præcipuè

ſunt,

ſunt, ex quorum alterutro Romani hanc vocem formare potuerunt. **Wade** vel **Waije** ſcilicet, ita vocant, qui circa Rheni divortia colunt, agrorum eluviem, amnis egurgitatione factam, quæ alibi **Wiel** vel **Kolk**; Et **Wede** vel **Weije**/ quod *agrum paſcuum* denotat: Quia verò hoc tractû notabilis aliqua Eluvies nulla; Nobiliſſimis Paſcuis, quæ plurima, haut dubiè VADÆ nomen debetur. **Wede** enim antiqui dixerunt pro **Weije**; uti, inter alia, conſtat ex Diplomate Comitatenſi Ulrici I. Tranſamaſanæ Principis; ubi optimus ille paſcuus ager, ex *Jada* ſinu recuperatus, vocatur **De Frieſche Wede**/ id eſt, *Friſicæ Vada*. VADARUM autem Gallicæ hujus ripæ, præcipui nominis, eſt **De Roe-weije**. M. P. III. non ampliùs infra *Arnhemum*, è regione Arcis **Clingenbeke**/ proximè à loco, cui **Meyrik** nomen. Ab hâc denique VADA ſeu *Paſcuô* Taciti vicum VADAM eſſe denominatum, mihi equidem maximè credibile fit; quia ex fidiſſimorum hominum relatu cognôrim, propè **Meyrik** Romanæ antiquitatis monumenta aliquando fuiſſe eruta, quod de nulla aliâ heic circum conſtat. Atque, ſecundum hæc, VADA vicus, ad quem Civilis infeliciter oppugnavit Caſtra Alarum vel Cohortium, fuit M. P. XI., à verô *Arenaco*; Et XV. à *Grinnibus* citra anfractus; IV. verò infra *Herculis Caſtra* & VIII. ſupra *Carvonem*.

II. VAHALIS.

BIcornis *Rheni* alveus naturalis ſiniſter, totus *Batavus*, vel *Patabus* uti eſt in Tabula P. ab ipſo divergio novum accepit nomen: Vertere enim, Germanis **Waalen** eſt. **Waal** itaque dictus, *verſo cognomento*, uti præſignificanter Tacitus ([a]), quaſi *Divergens Rhenus*. Cæſari conſtanter WALIS, vel, ſi cui prima figura ceu recentior, in Veteri Authore diſpliceat, VALIS. Sufficit ejus ætate VALIS, eodem modo fuiſſe pronunciatum, quô noſtrâ WALIS ([b]). Tacito & Servio ([c]) VAHALIS & VAHAL. Sollio ([d]) & Fortunato ([e]) Poëtis VACHALIS & VACHALUS reduplicatâ aſpiratione.

Efficit autem hic alveus, cum ipſo *Rheno*, quô latior, ſed placidior, *Inſulam Batavorum*, omni ſuo curſu M. P. LXXX., ab agri *Batavi* principio, in *Oceanum*. Ad quem à *Moſa* recipitur, illumque viciſſim effundit, multis etiam capitibus; ſecundum Cæſarem ([f]) cum Tacito ([g]) compoſitum. Ante hoſce verò Confluentes ad ipſum Oſtium, in ſuperioribus nulla VAHALIS cum *Moſa* coïtio, Romanis uſquam celebrata. Quæ hodie ad Munimentum *Vorenum* & *Andreanum*, eſt veteris Iſthmi perfoſſio recens, hoſtibus ſiſtendis. Alveus qui à *Vetere Moſa* ad VAHALEM, id eſt, *Hedichuſio Loeveſtenium* ducit, ipſo *novitii Moſæ* nomine, ſe novum prodit: Et quantum ſuſpicor, ejuſdem Auctoris opus eſt, qui VAHALEM *Lecca* conjunxit, inter *Doretrectum* & *Crimpam*: Quia ipſe vetus alveus VAHALIS,

(a) II. An. c. 6.

(b) Vide Voſſ. de Art. Gr. I. 24.

(c) Æneid. IIX. fin.

(d) Lib. VII. Ep. 3. Carm. V. XIII. XXIII.

(e) Poem. Lib. VI.

(f) B. Gall. IV.

(g) II. An. VI. & V. Hiſt. c. 23.

HALIS, inter utramque Foſſam medius, *Mervæ* etiam nomen recepit, quod Foſſarum Auctori acceptum ferunt. Quæ denique per ſinum **Biesboſch** utriuſque amnis accidit confuſio, omnium recentiſſima eſt: Eademque, memoria infandi doloris, tot villis, tot vicis, tot Arcibus, tot pecorum, tot armentorum, tot hominum millibus, unâ voragine hauſtis. Antiqui autem *Confluentes* nuſquam alibi fuêre, quam ubi hodiè, aliâ rerum facie, idem nomen, **Geervliet**/ id eſt, *Confluentes*.

III. UNSINGIS.

CÆſar Germanicus, primâ expeditione in *Cheruſcos*, magnam copiarum vim ducturus, VIII. ſcilicet Legiones & XV. auxiliarium millia, præter tumultuarias Germanorum catervas & *Chaucos* in commilitium adſcitos; omnes ad amnem *Amiſiam*, Groningano in agro, uti ſupra ([a]) demonſtratum eſt, convenire juſſit. Quò ipſe impoſitas navibus IV. Legiones per Lacus vexit; *Flevonem* puta & *Æſtuaria* ſeu *Mare vadoſum*. Poſtquam æquis manibus ab Arminio diſceſſum, reductô ad eundem *Amiſiæ* locum exercitu, IV. illas Legiones, claſſe, ut advexerat, reportavit, reliquis, priſtino tramite, *Rhenum* repetere juſſis. Cæterùm, quia experimento cognoverat, graviorem in itu fuiſſe claſſem, quàm quæ *vadoſo Mari*, inter *Marnamanem Portum* præcipuè & *Amiſiam*, facilè innaſſet vel reciproco ſidiſſet: Ne in idem recideret incommodum, Duas tantùm Legiones claſſi ad *Amiſiam* impoſitas prævexit ad dictum Portum, in quem influit Amnis, nulli hactenus verô nomine indicatus: Reliquas duas P. Vitellio, traditas, ut eòdem duceret, itinere terreſtri M. P. XVI. haut longiore, ibi navibus recepturus. Spes erat, tantillum ſpatii, ſidere Æquinoctii, citra pernoctationem; facillimè potuiſſe confici. Sed modicum viæ, ſiccâ humo, progreſſum Agmen, mox Aquilonis impulſu intumeſcens Oceanus, terraſque opplens rapuit, agitavitque, aliquando etiam ſubtractô ſolô disjecit aut obruit; Donec, poſt varia diſcrimina, Vitellius in *Editiora* eniſus, eòdem illud ſubduxerit; Ubi pernoctavêre miſerabiles, propè adeo à Portu, quo Cæſar claſſe contenderat, ut ad Amnem illic influentem, penetratum fuerit, quam primùm Lux reddidit terram. Claſſi deinde impoſitæ Legiones, vagante famâ ſubmerſæ.

(a) Ad Am. Stati


In hunc ſenſum Tacitus ([b]) totidem ferè verbis, de omni hoc itinere. Unde judicatû facile eſt, Amnem, ad quem penetratum, non fuiſſe *Viſurgim*, uti quidem omnes legunt, qui Codicem Vaticanum, de Quinque prioribus Annalium Libris, unicum, hactenus inſpexêre. Igitur ad *Ure*, *Seca*, ſibi recurrendum duxêre interpretes, & exſtirpandum τὸ *Viſurgim*, ut ſenſus ſit; *penetratum eſſe ad Amnem*, [id eſt, *Rhenum*]: Sed miſerandum remedium. Quî, unô die, aut Cæſar claſſe, aut Vitellius itinere terreſtri, ab *Amiſiâ*, ad *Amnem* [*Rhenum*]

(b) I. An. 56. 60. 63. 70.

num] penetrare potuit? Et, ſi maximè potuiſſent, quorſum Legiones iter jam emenſæ claſſi impoſitæ? Aſt Lipſius [c] Geographiæ non admodum curioſus, hæc agnoſcens; *Ad Amnem Vidrum* legendum eſſe, ſibi perſuaſiſſimum habet, errore adhuc ſatis enormi; Si vel maximè verum, quod falſò ſupponit, per *Vidrum*, *Bructerorum Vechtam* intelligi; Nam, ne eò quidem Legiones cum utenſilibus littus obeuntes toto triduo penetrare potuiſſent. Verùm hæc Vir ſummus per ageographiam, uti mox ad *Vidrum* demonſtrabitur.

(c) In Not. ad d. l.

Dicam quod res eſt, quamque ita eſſe dudum ipſe comperi, & Amicis meis, quos inter talium Arbitri inſignes, pro compertâ probavi. Oritur in *Friſiorum* Paludibus ad ortum extremis Amniculus univerſum *Trentonum* Pagum, &, poſt *Lacum Larium*, *Groninganum* etiam *agrum*, tortuoſis flexibus permeans; Denique, receptô *Abd* jam maximarum navium ferax, in *Portum Manarmanem* ſe effundens; antiquitus Hunſe vel HUNSING appellatus; A quo hodieque optima Agri portio, quæ infra ipſam *Groningam*, in ripa ejus dextra, HUNSINGIA denominatur. Hujuſque angulus extimus *Marna*, ad ipſum *Portum* & *Oceanum*, *Manarmani*, vel veriùs *Marnamani* nomen fecit; de quo ſupra.

Hic itaque, procul dubio, Amnis eſt, Tacito [d] UNSINGIS ſine aſpiratione dictus, ad quem Vitellius cum Legionibus, poſt miſerandam pernoctationem, ab *Amiſia*, penetravit; Et Germanici Cæſ. claſſis ab Aquilonibus (ſic vocat promiſcuè ventos Septentrionarios) tuta, in Portus receſſu ortivo ſtetit. Ita etiam in Codice ſcriptum exſtare, nihil ambigo: Licet ab omnibus, qui UNSINGIM non nôrunt, *Uiſurgim* hactenus lectum fuerit: Utrumque enim totidem lineolis duci poteſt, ita ut alterum pro altero, ſi apices impoſiti deſint, facili errore legatur. Sic autem ſcriptum arbitror, apicibus neglectis aut jam fugientibus  : Ex quo, pro diverſâ apicum impoſitione, utrumvis legere integrum eſt. Si prima littera ſignata putetur, hâc figurâ U. fiet Uiſurgim: Si verò hâc V., fiet Vnſingim. Atquè ita deſperatiſſimo huic Taciti loco, ſolidum tandem remedium fuiſſe allatum, mihi perſuaſiſſimum ſemper fuit. Viderint num fallar, quibus ipſum Vaticanum Codicem inſpiciendi copia eſt.

(d) d. l. An. 70.

W.

W.

I. WIDER.

CL. Ptolemæus ([a]) cenſet inter Oſtia, quæ pandunt *Batavorum* [a] Geog. II. 11.
Friſiorumque littus à *Morinis* in *Chaucos*. *Oſtia fluvii* ὐίδρου, Cujus caſus rectus, pleriſque Latinè loquentibus, eſt VIDRUS; Cluverio VIDER, eâdem formâ, quâ *Iſter*, *Nicer*, &c. Rectè quidem, animo meo, ſi eadem perſeveraret pronunciatio litteræ *V.* conſonæ, quæ Veteribus, planè ad modum W. Germanici. Cæterum cùm hodiè diverſi ſoni ſint V. & W. Et Ptolemæus in capite ȣ non υ poſuerit, quo ſcilicet propius exprimeret Germanicam vocem, quam imitatus videtur; malui Germanicum W. uſurpare, quam Latinum V. Ut clarius conſtaret Græcum ὐίδρος nihil aliud, quàm Germanicum WIDER denotare, quod Latinè *Latius* eſt.

Lipſii ſumma authoritas incautos ferè omnes in eam pertraxit ſententiam, ut crediderint ceu rem indubitatam; Per Ptolemæi VIDRUM intelligi *Bructerorum Amnem Vechtam*, quem *Rhenus* à Druſo abactus ſecum ſpargit in *Lacum* illum ingentem *Flevonem*. Cluverius ſummus licet Geographus, errorem errore pertegens, eòdem transfert *Manarmanem Portum*: Hactenus Lipſium in Geographicis verè imparem, qui eundem Portum ad *Stauriam* rejecit, pro ſua, quâ in his præpollet authoritate, corrigens. Sed magnam Eclipſin hîc patitur fulgentiſſimum inter Geographos ſidus. Ptolemæo ſiquidem *Manarmanis Portus*, ad *Oceanum* eſt, *Flevi Oſtio* verſus Septentriones & Ortum, disjunctus M. P. XXXV. Hunc, pro ſuo arbitratu, Cluverius, contra agnitum Ptolemæi morem, verſus Auſtrum, & Occidentem, à *Flevi* Oſtio & *Oceano*; atque à *Friſiorum* fronte ad tergum removet M. P. XLVIII. haut minus. Rurſum Ptolemæo WIDER itidem Oſtium ad *Oceanum* eſt, à *Manarmanis Oſtio*, iterùm in Septentriones & Ortum, M. P. XXV. Cluverius, grandiori etiam errore, illud, idem cum *Manarmane* facit, vel certè conjunctum. Mirum, qui tantus Geographus, nobis fluviorum Oſtia ad Lacum mediterraneum, utpote quem Friſii ambiunt totum, teſte Tacitô ([b]), fingere ſuſti- [b] Germ. c. 34.
nuerit! Sanè eâdem facilitate nos relegare potuiſſet ad *Lacum Acronium*, inveſtigandis tribus *Rheni* Oſtiis Ptolemæo quoque memoratis; quô nihil magis abſurdum. Fluvii enim qui Lacus Mediterraneos permeant, poſteà iterùm fluvii, Oſtia non habent, niſi ad *Oceanum*, quà exeunt. De *Manarmanis* & VIDRI Oſtiis clariora ſunt Ptolemæi verba, quàm ut ullam dubitationem admittant: Sic autem ſe habent;

„ Germaniæ latus Septentrionale
„ terminat *Oceanus*, cujus hæc Deſcriptio;

„ Poſt Rheni Oſtia,
„ Manarmanis Portus.
„ Vidri fluvii Oſtia
„ Amaſii fl. Oſtia
„ Viſurgis fl. Oſtia
„ Albis fl. Oſtia

Qui ad hæc, Cluverium dormitaſſe, dubitat, illum equidem veterno ſoporatum ego arbitror.

Eſt ergò WIDER Oſtium ad *Oceanum Germanicum* M. P. XXV. à *Manarmani* verſus Aquilonem, uti inante ([c]) oſtenſum eſt. Eodem planè ſitû, quo AMISIÆ OCCIDENTALE, inter Inſulas *Rothemenſem* & *Burchanam* littoralium nobiliſſimam, hodiè vulgo **De Weſter-Eems** vel **Olde-Eems** / longè latiori ore, quam Orientale, ſive Ptolemæi vetus, de quo antea ſuo loco, ſive hodiernum: Unde admodum appoſitè ei nomen factum WIDER, hoc eſt, LATIUS, more his terris recepto. Ita in proximis *Friſiorum* agris cis & ultra *Unſingim* rivi duo diverſi, *Ehe* nomine, ubi latiſſimi alvei **Wijd-Ee** dicuntur. In *Batavis Latum Helium*, **Wijd-hela** & **Bree-hel** contractè **Briel**. Et in *Menapiis Aha* à ripis recedens **Brêd-A**. Synonyma namque nobis ſunt **Breet** & **Wijd**.

([c]) Ad Manar.

Atque ſic tandem præclarè demonſtratum putem WIDRUM ſeu VIDRUM, non eſſe nomen Amnis *Bruſterorum*; Sed cognomen Oſtii OCCIDENTALIS AMISIÆ, ex re additum. Ad eumdem planè modum, quo HELII cognomentum, *Rheni Occidentale* obtinuit.

I N-

INDEX I.

LOCORUM

Ex

AUTHORIBUS ANTIQUIS,

Quæ paſſim

Arguuntur, aſſeruntur, caſtigantur, corriguntur, emendantur, explicantur, improbantur, laudantur, reſtituuntur.

A.

ÆThicus. C. 1. F. 13.
Antonini Itinerarium A. 2. 9. B. 7. C. 2. C. 5. F. 3. H. 2. L. 5. M. 6. 8. 9. V. 1.
Caſtigatur. A. 2. M. 2.
Explicatur. C. 2.
Suppletur. C. 9.
Reſtituitur. C. 12. T. 5.
Aurelius Victor: *de Caſ. ſub Gallien.* F. 11.
Auſonius. B. 5. N. 6.

C.

Cæſar. C. 13. G. 1. 3. M. 8. R. 1. S. 2. 5.
I. *Belli Gallici.* S. 5.
II. *Laud.* B. 2.
III. *Laud.* M. 7. 8.
IV. *Laud.* B. 2. 5. C. 8. L. 1. M. 7. 8. 9. O. 4. R. 1. V. 1.
V. *Laud.* T. 3.
VI. *Laud.* F. 13. M. 7. *Expl.* M. 9. N. 3. O. 4. V. 1.
Capitolinus. *In Clodio Albino.* A. 2.
Maximino. F. 11.
Caſſiodorus. *In Chronico.* F. 11.
Claudianus. F. 11. B. 5.

D.

DIo Caſſius. G. 5. M. 8.
Libro XXXIX. M. 8.
LIV. F. 13. L. 1.
LV. *Laud.* B. 2. C. 5. 9. D. 3. F. 13. S. 1. T. 3.
LX. *Laud.* C. 10. 11. *Illuſt.* C. 6.
LXVIII. C. 9.

E.

EUmenius Rhetor. T. 3.
Eutropius F. 11. G. 3.
Lib. VII. B. 5. F. 11. M. 7. S. 5.
VIII. C. 5. 9.
IX. F. 11.
X. B. 7.

F.

FAbulæ.
Florus.
IV. 10. C. 5.
12. S. 5.
Fortunatus. V. 1.

G.

GRegorius Turonenſis. A. 7. C. 8. O. 1.

H.

HErodianus. F. 11. R. 1.

I.

JEremias. XLIX. 1. B. 4.
Inſcriptiones. *vid.* L. Lapides *&* N. Numi.
Jornandes. F. 11.
Itineraria. *Vid.* Antonini, *&* Tabulæ.
Jus Roman.
Leges XII. Tabb. C. 11.
Lex. 8. §. 2. *ff. de Cenſib.* G. 1.
Lex. 168. *ff. d. V. S.* P. 1.

L.

LApides Litterati.
Laudati A. 8. 10. B. 2. C. 1. 4. 5. 9. E. 2. F. 12. 13. M. 3. N. 3.
Aſſerti. C. 4.
Reſtituti. A. 10. C. 5. F. 9. M. 3. N. 3.

M.

MAmertinus. R. 1.
Marcellinus *(Ammian.)* F. 11. R. 1. T. 3.
Libro. Cap.
XV. 6. *Laud.* R. 1.
27. - - C. 7. G. 1.
XVII. 3. - - C. 9.
4. - - M.
17. - - B. 7. C. 8. F. 11.
18. 19. - - B. 7. C. 8.
XVIII. 2. *Expl.* B. 7. *Laud.* C. 5. O. 5. Q. 1.
3. *Laud.* B. 7.

XVIII. 4.

XVIII. 4. *Laud.* B. 7.
5. - - B. 7.
XX. 25. *Emend.* C. 5. O. 1. *Aſſeritur.* F. 11.
1-5. *Laud.* B. 7.
XXI. 1-11. - - B. 7.
XXIX. 20. - - T. 3.
Marcianus Heracleotes. *Exploditur.* M. 1.
Emendatur. M. 1.
Mela (Pom.) *de ſitu Orbis.* A. 4. F. 4. 5. 7. M. 8. O. 5. R. 1.

N.

NOtitia Utr. Imperii. C. 8. F. 11. G. 1. M. 8. T. 6.
Notitia Galliarum. C. 7. G. 1.
Numi. B. 3.
Laudati. C. 9. D. 2. E. 2. M. 2.
Reſtituti. E. 2.

O.

ORoſius. *Laud.* C. 1.

P.

PAnegyriſtæ. F. 11.
Eumenius. *Vid.* E.
Mamertinus. *Vid.* M.
Plinius Junior. Cap. IX. C. 5. 9.
Plinius Hiſt. Natur. A. 4. C. 6. E. 4. 5. 13. G. 3. M. 8. R. 1. S. 2.
Libro. Cap.
IV. 13. *Laud.* B. 6. M. 8. 9. O. 4. T. 2. 3.
14. - - C. 6.
15. *Reſtituitur.* A. 12. *Laud.* B. 2. 6. C. 1. F. 5. 6. 7. 12. H. 1. M. 4. O. 5. R. 1. S. 4.
17. *Laud.* B. 2. F. 12. S. 5. T. 2. 3.
19. *Laud.* O. 2.
XXV. 3. *Explicatur.* F. 8.
XXXI. 2. *Laud.* T. 3.
Plutarchus. *Laud.* G. 3.
Ptolemæus Geograph. A. 4. 5. C. 1. 6. F. 10. 13. G. 1. M. 1. 8. M. 6. R. 1.
Lib. Cap.
II. C. 7. & 8. N. 6.
9. *Emend.* C. 5. M. 1. *Laud.* H. 1. M. 7. 9. N. 6. 2. O. 4. 5. R. 1. T. 2.
II. Cap. 10. *laud.* N. 6.
cap. 11. *laud.* A. 4. 5. B. 5. 6. F. 6. 7. 13. N. 2. O. 2. 3. S. 3. T. 6. *corrig.* C. 6. O. 3. *aſſeritur.* B. 4. M. 6. *emend.* F. 3. O. 4. T. 4. V. 3. *explicatur.* F. 3. W. 1. *Arguitur, improbatur.* F. 3. T. 4.
VIII. C. 2. *Tab. Eur.* IV. *laud.* A. 5.

S.

SErvius in Virgilium, *laud.* B. 2. V. 1.
Sollius Sidonius Apollinaris *laud.* F. 11. G. 3. V. 1. *expl.* T. 2.
Spartianus. *Dıd. Juliano.* C. 6.
Strabo Geographiæ
Lib. IV. M. 7. 8.
Lib. VII. A. B. C. F. G. R. S. T.
Suetonius *laud.* G. 3.
Aug. 21. B. 5. F. 11. M. 7. S. 5.
Tiber. 9. S. 5.
Claud. C. 6. F. 10.
Cajo. P. 1.
Sulpicius Alexander. *laud.* A. 7. C. 8.

T.

TAbula Itineraria ex Peutingerorum Bibliotheca Auguſtana.
Laudatur. A. 1. 7. 9. 11. B. 5. 7. C. 4. 5. 8. F. 1. 2. 11. 13. G. 1. H. 2. L. 2. 3. 5. M. 5. 7. 8. 9. N. 5. 6. T. 1. 2. V. 1.
Emendatur. A. 2. C. 4. 7. 12. F. 9. 11.
Explicatur. C. 2. 4.
Reſtituitur. C. 3. 4. 8. 9. 11.
Tacitus. A. 4. 5. C. 1. 4. 6. E. 1. F. 4. 5. 13. G. 1. 3. H. 2. L. 4. M. 1. 8. R. 1. S. 5.
I. Annalium.
31. D. 1.
37. *laud.* E. 1.
38. *laud.* C. 6.
45. *aſſeritur.* C. 5. *laud.* D. 1.
51. *laud.* B. 1. C. 5.
53. - - E. 1.
55. - - C. 5.
56. - - T. 3. 6. V. 3.
59. - - C. 5.
60. - - A. 4. 5. 6. B. 5. C. 5. 6. 11. D. 1. E. 1. L. 1. V. 3.
61. - - C. 5.
62.
63. *expl.* A. 5. 6. *laud.* C. 1. *expl.* E. 1. V. 3.
64. *laud.* D. 1.
69. *laud.* D. 1.
70. *expl.* A. 5. 6. *laud.* C. 11. L. 1. M. 1, *reſtituitur.* V. 3.
II. 5. 6. 8. } *Expl.* A. 5. 6. B. 2. 5. D. 13. H. 1. M. 9. O. 5. R. 1. V. 1. *laud.* C. 11. F. 7. 10. I. 1. L. 1.
17. *laud.* C. 6.
22. *laud.* G. 1.
23. *laud.* D. 13. I. 1.
24. *expl.* A. 5. 6.
26. *expl.* I. 1. *laud.* G. 1.
III. 41. *laud.* G. 1.
IV. . .
44. *laud.* D. 1.
47. *laud.* G. 3.
56. *expl.* C. 1. M. 4.
72. *Expl.* B. 1.
73. *expl.* B. 1. C. 13. *laud.* G. 1.
74. *laud.* C. 1. F. 3.
XI. . . :
18. *laud.* C. 1. 6. 11. L. 1.
19. - - C. 11. L. 1.
20. - - C. 1. 6. 10.
XII. . . .
18. *laud.* F. 10.
26. - - L. 1.
27. - - P. 1.
39. - - F. 21. G. 3.

XIII.

XIII. . . .
53. *emend.* D. 3.
54. *laud.* I. 1.
55. - - A. 7. C. 6. 8. T. 6.
56. - - T. 6.
57. *aſſeritur.* F. 13. *reſtituitur.* I. 1.
XIV. 27. *laud.* C. 9.
I. Hiſtoriarum. C. 7. G. 1.
55. *laud.* C. 5.
61. - - C. 5.
67. - - C. 5.
II. 29. *laud.* A. 2.
IV. *laud.* C. 1.
12. - - B. 2. C. 1.
14. - - N. 4.
15. - - A. 8. C. 1.
16. - - C. 1.
18. - - B. 4. C. 5. N. 4.
21. - - C. 5.
21. - - C. 5.
23. - - C. 5.
30. - - C. 5.
32. - - B. 2.
35. - - C. 5.
45. - - C. 5.
49. - - C. 6.
60. - - S. 5.
66. - - O. 1.
V. . . .
15. *laud.* C. 5.
19 - - A. 3. B. 2. 4. *expl.* B. 4. *laud.* C. 6. D. 3. N. 6.
20. - - A. 9. B. 3. C. 3. 4. V. 1.
21. - - C. 3. 4. V. 1.
23. - - B. 2. 5. C. 1. F. 12. M. 9. V. 1.
24. - - M. 9.
26. - - A. 2. F. 10. G. 1. *expl.* N. 1.
